5.6.30

Digitized by Google

5.6.30 I

ALOYSII ANTONII VERNEII
EQUITIS TORQUATI
ARCHIDIACONI EBORENSIS


DE RE

METAPHYSICA

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBRI QUATUOR.



ROMAE CIↃ IↃ CC LIII.

EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONI
IN FORO S. IGNATII.
SUPERIORUM FACULTATE.

JOSEPHO I.
LUSITANORUM REGI
MAGNO INVICTO FIDELISSIMO

ALOYSIUS ANTONIUS VERNEIUS
S. P. D.

METAPHYSICAE ſtudium, JOSEPHE I. Rex optime, neque arduum eſt, & homine, qui reipublicæ gubernandæ det operam, dignum omnino eſt. Quod ut oſtendam, non Alexandrum Magnum excitabo, non M. Au-

relium Imperatorem, non Leonem VI. cognomento Philoſophum, non Periclem, non Xenophontem, non Scipionem Aemilianum, non L. Lucullum, non M. Tullium, non Magnum Pompejum, non Catonem Uticenſem, non ceteros viros principes Philoſophiæ ſtudiis ſummopere deditos, qui & rempublicam optime adminiſtrarunt, & etiam bellica laude nobiles exſtiterunt; ſed ipſam Metaphyſicæ vim & naturam conſiderabo, eaque contentus ero. Quid enim eſt Metaphyſica, niſi diſciplina, quæ docet, quo pacto humanæ rationis, eæque bene exercitatæ, præcepta ad argumenta quædam generalia, quæ tum in diſciplinis theoreticis, tum in pragmaticis, id eſt iis, quæ domeſticis, aut publicis negotiis continentur, uſum inſignem habent, clare & facile accommodari poſſint? Quid autem eſt ratio perpolita & exercitata, niſi mens noſtra, quæ præceptis Logicæ politur, & apta redditur, ad verum in omni vitæ parte inveniendum? Quod ſi nihil in mundo civili ſine recta ratione recte fit, Metaphyſica autem eſt quædam quaſi pediſequa & adjutrix rectæ rationis; conſequitur, & Logicam, & Metaphyſicam ad res quaſque recte adminiſtrandas omnino eſſe accommodatas.

Hæc cum non animadverterent non nulli,

li, præſertim e Juriſperitorum, & Politicorum familia, ita magnifice de arte ſua, contemptim vero de omni Philoſophia loquuntur, ut nihil ſupra fieri poſſit: nec aliter de Philoſophis commemorant, quam de garrulis quibuſdam hominibus, inanibus controverſiis occupatis, rebus vero publicis non modo adminiſtrandis, ſed ne mente quidem percipiendis, parum aptis. Qui ſi de loquaci illa, & inepta Arabo-Peripateticorum philoſophia diſputant, recte diſputant: ſin autem de germanæ Philoſophiæ præceptis, male profecto. Nam ut mittam Zaleucum, Lycurgum, Charondam, Rhadamantum, Solonem, qui Græcis civitatibus leges ex bona Philoſophia ſanciverunt; ut reliquos ſex prætercam *ſapientes* nominatos, qui, ſi unum excipias, reſpublicas recte adminiſtrarunt; quis Romana hiſtoria eruditus ignorat, Juriſperitos illos graviſſimos, qui Ciceronis ætate floruerunt, & jus Civile confuſum & perturbatum in ordinem redegerunt, ac inluſtrarunt, veluti Publium Rutilium, Aelium Tuberonem, Sext. Pompejum, Cœlium Antipatrum, Q. Scævolam utrumque & Augurem, & Pontificem, Lucilium Balbum, Servium Sulpicium, Antiſtium Labeonem, Atteium Capitonem, ceteroſque, ex diſciplina vel Panætii, vel Antiochi, vel alterius Græ-

ci philoſophi prodiiſſe, atque Philoſophiæ ope jus Civile mirifice amplificaſſe? Quis neſcit, poſteriores Juriſconſultos ab Auguſto Cæſare ad Juſtinianum uſque, qui ex utraque illa ſchola & Labeonis, & Capitonis profecti ſunt, ut Celſum, Longinum, Ulpianum, Papinianum, Paullum, Modeſtinum, Julianum, & reliquos, ex diſciplina de *Officiis*, quam Stoici philoſophi omnium optime excoluerunt, tantos in jure Civili progreſſus feciſſe, eique adeo opitulatos eſſe, ut etiam nunc eorum reſponſa pro regula *juſti*, & *injuſti* habeantur? Quid? quis item neſcit, eos omnes, qui de jure Naturæ, & Gentium, Politicæ omnis fonte, quique de Politica ipſa arte & proximo, & præſenti ſæculo accuratius ſcripſerunt, eaſque *ſyſtematice*, id eſt ordine certo expoſuerunt, non ſolum Philoſophiæ peritia valuiſſe, ſed ex ea utramque illam diſciplinam doctiſſime inluſtraſſe?

Reſonant adhuc, Rex auguſtiſſime, non ſcholæ modo, ſed aulæ Regum, atque ipſæ graviſſimorum hominum bibliothecæ, qui ab illis in collegium Conſiliariorum merito ſuo cooptati ſunt, nominibus Grotii, Puffendorfii, Seldeni, Chriſtiani Thomaſii, Heineccii, Buddei, Cumberlandii, Val. Alberti, Chriſt. Wolfii, aliorumque, qui utramque diſci-

diſciplinam & inluſtrarunt, & clariori ordine expoſuerunt. Reſonant nominibus Lipſii, Conringii, Boſſii, Naudæi, Boxhornii, Hertii, Boecleri, Heumanni, & aliorum, qui in Politica præcipue elaborarunt, & viam ſtraverunt, qua facile ad ejus cognitionem pervenire poſſimus. Quæ ſi pſeudo-Politici illi cognita habuiſſent, immo vero vel unius Naudæi, aut Boſſii ſcripta pervolviſſent, ne illi certe ſuammet inſcitiam, & arrogantiam deriderent, qui Philoſophiam a Prudentia & Civili, & Politica ſejungere auſi fuiſſent; cum utraque maxime hac ætate non niſi Philoſophiæ ſubſidio emendata ſit, & recto ordine explicata.

Quid? quod novum dogma, quæ ſtrategemata Politici iſti & veri, & falſi excogitarunt, quorum in Veteribus philoſophis non expreſſa veſtigia ſe offerant? Teſtes habemus Xenophontem, Iſocratem, Platonem, Ariſtotelem, Ciceronem, Plutarchum, viros Politicæ artis peritiſſimos, qui etiamſi ſuorum moribus accommodate loquantur, tamen fontes Politicæ omnis & veræ, & falſæ, quæ poſt obtinuit, ſcriptis ſuis nobis indicarunt: adeo ut vel unus Ariſtoteles, ut viri docti animadverterunt, arcana omnia & ſophiſmata, propter quæ Machiavellus homo nequam a peſſimis Politicis extolli ſolet,

let, pleraque in quarto, quinto, & ſexto *Politicorum* libris indicaverit. Ut ſi rationes recte computemus, nihil iſti habeant, in quo exſultent, quod non Veteribus philoſophis acceptum referre debeant.

Nempe pſeudo-Politicorum error inde natus eſt, quod inepta & puerili Politicæ idea ac ſpecie decepti, ceteros homines non ex virtute, ſed ex fortuna metiri ſolent: & eos, quibus res aliqua bene ceſſit, bonos Politicos; quibus contra, ineptos homines appellant. Sed longe aliter ſe res habet: nam & pleriſque nullo ſuo merito, caſu & fortuito res proſpere evenere; & multi incredibili doctrina, ac uſu rerum præditi res male geſſerunt; quod eæ tempeſtates in republica exortæ ſunt, quæ nulla induſtria humana prævideri, nec ſedari potuere. Quod ſi rerum ſummam adtente ſubduxerimus, deprehendemus, pleroſque, qui propter res geſtas domi, militiæque celebrantur, non peritia, non prudentia, ſed fortuna valuiſſe. Quod ipſamet Urbis hiſtoria, in qua ſcribo, luculenter demonſtrat. Quis enim Hamilcarem Barcam, quis Hannibalem filium, quis Cn. Pompejum, quis M. Antonium ignavos milites dicat, quod ille a Vettonibus, alter a Scipione, tertius a C. Cæſare, quartus ab Auguſto prœlio victi fuerunt?

runt? Quis C. ipſum Cæſarem, quis M. Tullium gubernandæ reipublicæ inperitos exiſtimet, quod uterque civilibus fluctibus actus fato ſuo extinctus eſt? Itaque & fortuna, id eſt tempus, caſuſque, * a divina providentia definitus, in omnibus dominatur: & gloria, quæ claros homines ſequitur, ſæpius fortunæ, quam virtutis, eſt beneficium. Quare nec illi ſemper laudandi, qui famam ſorte magis, quam virtute, partam habuerunt; nec hi contemnendi ſunt, qui fortuna parum, virtute multum valuere. Sed virtus ſine fortuna ponderanda eſt: qua qui gaudent, ii quidem ad res quaſque publicas adminiſtrandas præſtantiores haberi debent.

Quod ſi hanc Prudentiæ & Civilis, & Politicæ artem, quibus ratio omnis procurandæ reipublicæ continetur, expendere & examinare voluerimus, plane intelligemus, ex veræ Metaphyſicæ principiis ordinem, claritatem, & ſplendorem ſuum accepiſſe. Primum id nos docent ſcripta eorum, qui de ea hoc ſæculo accuratius diſſeruerunt, qui Metaphyſicæ auxilio prudentiam generatim ſumtam, quæ aliis lumen adfert, a reliquis

* Vidi ſub Sole nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam: ſed tempus, caſumque in omnibus. *Eccleſiaſtes C.*VIIII. *verſ.*XI.

quis Prudentiæ partibus ſeparatim expoſuerunt, res quaſque ad certa capita revocarunt, ex certis ac perſpicuis principiis ſingula deduxerunt, eaque ordine quam aptiſſimo poſuerunt, ut facilius multo in animos inlabi poſſent. Deinde id ipſum vel inviti declarant ii, qui præcepta ſcripta reliquerunt, quibus reſpublicæ recte gubernentur. Quis enim umquam de talibus rebus diligentius ſcripſit, quin prius caſus omnes, qui evenere, percenſuerit, alios cum aliis contulerit, ea, quæ ſimilia habent, notaverit, in quibus differunt diligentiſſime admonuerit, idque ordine explicaverit, quo facilius quædam vitari, quædam vero admitti ſine ullo damno, immo vero cum fructu publicæ rei poſſint? Quod qua ratione ſine Metaphyſica effici poſſit, non video: cum id ipſum vel maxime ſit Metaphyſicum, ſingula tali ordine inveſtigare & exponere, ut & clare, & nullo negotio intelligi queant. Jam vero eos, qui reipublicæ cum laude præſunt, quid ab aliis hominibus diſtinguit, & quaſi præ ceteris oculatos laudibus efferre cogit, niſi ſollertia, qua ex præteritis, ac præſentibus negotiis accuratiſſime expenſis, & inter ſe collatis; ex moribus populorum, quos penitus exploratos habent, futura callidiſſime proſpiciunt;

ciunt; quæ noxia ſunt, declinant; cetera ad ſalutem reipublicæ, ad felicitatem populorum vel augendam, vel conſervandam flectere norunt? Quis autem hic non videt & Logicam, quæ veri probabilis regulas oſtendit; & Metaphyſicam, quæ docet, probabilitatis præcepta ad accuratam analyſim veri inveſtigandi cauſſa inſtituendam facile flectere, & accommodare? Quod cum Recentioris metaphyſicæ proprium ſit, quæ, miſſis inanibus diſputationibus, præcepta illa communia utilia & clara ita perſequitur, ut vel nullo labore cuilibet intuenti communis eorum utilitas nota ſit; ſit inde manifeſtum, eam Metaphyſicæ partem, quæ id præſtat, & ſine labore a viro Politico percipi poſſe, & eidem non modo aptam, ſed etiam neceſſariam videri.

Sed quid ego ad rationes confugio, cum ipſum luculentiſſimo exemplo, quod mihi ante oculos perpetuo obverſatur, conficere poſſum? Tu mihi & teſtis, & ratio, & exemplum eorum, quæ diſputavi, eſſe potes. Quid enim aliud eſt ars illa, qua populos ſapientiſſime gubernas, niſi pulcerrimus uſus ſolidioris Metaphyſicæ, quam veris Politicis, qui felicitatem gentium ſuo imperio ſubjectarum maxime quærunt, neceſſariam eſſe contendo? Quid mira illa accura-

curatio, qua præcepta generalia regnandi vel doctrina, vel uſu adquiſita, memoria tenes, eaque ad ſingulos caſus, qui eveniunt, vel quos eventuros conjectas, accommodare & noviſti, & ſoles, niſi declaratio utilitatis, quam ex hujuſmodi præceptis generalibus Reges ipſi capere poſſunt? Quæ tametſi tu minus doctrina (quamquam & id quidem) quam bonitate quadam naturæ, ac præſtantia mentis tuæ facis, tamen præcipue declarant, quanto facilius, & melius ea, quæ uſu, & facilitate quadam naturæ facimus, ſi recta diſciplina accedat, fieri poſſint.

Valent mihi crede, rex JOSEPHE, ad perfectionem naturæ & præcepta diſciplinæ, & uſus frequens: eaque tanto ſtudioſius exſequimur, quanto clarius cognoſcimus, qua ratione fieri debent. Valet ad communem populorum utilitatem, ad diſciplinarum incrementum Regum exemplum: eaque, quæ iis probari videmus, tanto alacrius, & diligentius facimus, quanto ex ipſo Regum ſuffragio majus pondus, & ſplendorem accipiunt. An eſt aliquis noſtrorum, qui ignoret, quanto opere noſtri homines Experimentali phyſicæ augendæ & perpoliendæ dent operam, poſtea quam te periculis faciendis in Univerſitate ſtudiorum a parente tuo, Rege ſempiterna laude digniſſimo, Ulyſippone

pone condita, ſumma cum delectatione, idque non ſemel, præſentem eſſe viderunt? Nimirum hæc a clariſſimis Regibus, quos vel ſanguine, vel adfinitate contingis, & quorum virtutes exprimere ſoles, didiciſti, ut non modo recentiora iſta ſtudia munificentia, & favore augeas & amplifices, ſed etiam præſentia & ſtudio tuo ornes & honores: animoſque gloria ejuſmodi incendas, ut in artes ingenuo homine, & Regibus ipſis dignas, naviter incumbant.

Te felicem, te vere Regem! qui in eo fortunæ faſtigio collocatus, in quo haud pauci eos, qui infra ſe ſunt, faſtidiunt, privatorum ſtudia contemnunt, ſibi tantum vivere ſciunt, plane intellexiſti, te non tibi, ſed populorum bono, & commodis eſſe natum: atque ad ceteras virtutes tuas non modo regiam illam laudem addidiſti beneficentiæ, ſed etiam doctrinæ. Felices Luſitanos, ſi te diutiſſime ſoſpite frui poterunt! ut quemadmodum Britannia Carolo II. Gallia Ludovico XIIII. Germania Leopoldo, Boruſſia Friderico, Moſchovia Petro, & Catharina, Dania, Svecia, ceteræque Europæ gentes certis Regibus, & Principibus muniſicentiſſimis bonarum artium patronis gloriantur, quarum ope ad apicem illum gloriæ, in quo eas miramur, pervenerunt;

ita

ita Luſitania noſtra futuris temporibus JOSEPHO I. magno Rege, & magno bonorum omnium ſtudiorum fautore gloriari poſſit. Vale, Rex optime, & inclyte. Romæ Kal. April. cIↃ IↃ CCLIII.

ALOY-

ALOYSIUS ANTONIUS VERNEIUS

Luſitanis Adoleſcentibus Metaphyſicæ operam daturis.

S.

EN tertium volumen, Adoleſcentes humaniſſimi, commodo veſtro divulgamus. Tardius profectò, quam vellem; ſed aliquanto citius, quam per valitudinem, qua incommoda ab aliquot annis utimur, & per occupationes non magnas illas quidem, ſed multas, & moleſtas, potuimus. Nam etiamſi hæc omnia jampridem ſcripta habeamus, tamen cum typis conſignari debent, hominis ſollertis eſt, ea iterum meditate perlegere, &, ſi qua occurrunt non commode dicta, emendare: quod non parum temporis, & operæ, & diligentiæ requirit. Neque enim mihi cornea fibra eſt: immo vero ex virorum doctiſſimorum ſcriptis, quæ continenter prodeunt, me non ſolum profeciſſe, ſed in dies non nihil proficere prædicare non erubeſco. Qui enim erubeſcerem, in tanta Europæ luce, atque frequenti doctiſſimorum hominum exemplo, qui errata ſua ſe agnoſcere, & emendare, ut virum

virum bonum , ac germanum Philoſophum decet , profitetur? Fuit olim hæc , & adhuc eſt quorumdam nomine tenus Philoſophorum irridenda pervicacia , ut perſpicuæ veritati non cederent ; ſed diſtinctionibus *ſuis , & cavillationibus , quas nec conjectore Oedipo interpretari fas ſit , quod ſibi propoſuerant defendendum , per omne fas , & nefas defenderent . Quos tamen in pertinacia ſua gloriari veri Philoſophi facile patiuntur : ſed veritatem ipſam vetuſtis , & præjudicatis opinionibus potiorem & æſtimabiliorem habentes , non dubitant a ſententia recedere , ſi aliquid certius , & melius ſe offerat . Quorum veſtigia me ſequi non invitus declaro , nec umquam ſecutum fuiſſe pœnitebit .*

Hæc cauſſa eſt , Adoleſcentes ornatiſſimi , cur non ita feſtinanter ſcripta noſtra edamus , quomodo viri graviſſimi omnium ordinum , qui ad nos humaniſſimas litteras dederunt , ſe havere ſignificarunt . Quorum ego amori , & humanitati niſi grato animo reſpondeam , ferreus ſim : gratiaſque eis non modo habeo , ſed ago quam maximas , quod ſcripta noſtra & amanter exceperint , & mirificis laudibus extulerint . In quo , ut nullam rem vos celem , aliquid mihi præter ſpem & opinionem evenit . Nam etiamſi quorumdam litteris certior eſſem factus , plurimos

in Luſitania noſtra recentioribus ſtudiis delectari; numquam putavi tamen tam multos eſſe, quam multos poſt editas lucubrationes noſtras in eadem ſententia eſſe cognovi, idque vel ex litteris ipſorum, vel ex aliorum ſermone. Facile ut ex hoc ſigno augurem regno noſtro, haud multo poſt nulli eorum, quæ Philoſophiæ laude celebrantur, eſſe ceſſurum.

Fuere etiam viri doctiſſimi, noſtrique amantiſſimi, qui ad nos ſcripſerint, & vero etiam plurimis rationibus perſuadere voluerint, ne perſonati cujuſdam Peripatetici vituperationibus, inſectationibuſque commoverer: neve ab edendis reliquis, quæ promiſeram, propter reſponſionem aliquam vel minimum temporis ceſſarem. Quos tamen ego bono animo eſſe juſſi: eiſque ſignificavi, me ita a natura factum eſſe, ita a Philoſophia paratum atque munitum, ut nullis talium cenſorum reprehenſionibus moveri ſoleam, nullamque reſponſionem iiſdem opponendam eſſe putem: immo vero eos, qui adfectibus ſervientes, officiorumque, quæ non modo Chriſtianum quemque, & ingenuum diſputatorem decent, ſed talem hominem multo magis decebant, penitus obliti, talia tamque hoſtilia loquantur, miſeratione potius, quam iracundia, nobis proſequendos exiſtimare. Et merito quidem.

 Quid

Quid enim reponam homini, qui cum Recentiorem philoſophiam ne a limine quidem ſalutarit; cum doctrinæ omnis, quæ apud nationes politiores viget, adeo rudis ſit, ut ex Arctico polo in ultima Groenlandiæ litora delapſus nuper videatur; tamen eo ſani judicii devenit, ut, cum inutilitatem Logicæ noſtræ ad inveniendum verum ubique prædicet, ſyſtema meum Logicum, de quo controverſia eſſe debet potiſſimum, intactum relinquat; tantum propoſitiones quaſdam apud veros Philoſophos certas, e contextu ſermonis avulſas, quæ novitio Philoſopho lemures, aut larvæ nocturnæ eſſe viderentur, ſibi profligandas propoſuerit, idque ex principiis Arabo-Peripateticorum, quæ Recentiores philoſophi ſummo conſenſu negamus, & irridemus? An aliquid lepidius, venuſtiuſque iſthoc cenſore fingi & cogitari poteſt? An cum in tanta doctiſſimorum hominum multitudine, quibus Luſitania noſtra his temporibus floret, ceteri taceant; plerique omnes, quibus dijudicandi facultas eſt, ſcripta noſtra humaniſſime extollant; nobiſque gratias agant, quod pueris noſtris Eclecticam philoſophiam primi tradidimus, ad eorum palatum accommodavimus, eoſque aberrantes in viam reduximus [dabitis mihi hanc veniam, Adoleſcentes, ut mihi pro me ipſo contra

repre-

reprehenſorem & inurbanum, & inmaniſſimum dicenti, merita mea erga vos, non omnino vulgaria, liceat memorare] unus tamen pſeudonymus Peripateticus ſurgat, qui veteres ineptias inſtauret, inſcitiam bonarum artium propagare contendat, noſque, ſi ſuperis placet, propter Recentiorem philoſophiam de errore, *de* ineptia, *de* abſurditate, *de* inpietate *poſtulet? Quod ſi ego iſtiuſmodi athletæ me ad prœlium jactanter vocanti, victoriamque, mirificum vatem! præcinenti, occurrere conarer, tum ineptus plane, tum ſtultiſſimo quoque ſtultior eſſem.*

Quamobrem ſciant non modo amici, ſed etiam fautores noſtri, nos de defenſione ſcribenda ne per ſomnium quidem cogitare, nec ejus generis ſcriptis umquam reſponſuros. Non patitur hæc ætas talem jacturam temporis, ut cum tali adverſario decertemus, qui inſtitutore opus habet, qui ei rudimenta recte judicandi puerorum ritu accuratiſſime explanet. Non e dignitate Recentioris logicæ eſt talibus argumentis reſpondere. Non id ferrent æquo animo Philoſophi quique graviſſimi. Quærat ipſe alium ſui ſimilem diſputatorem, quocum æquis viribus, & vero etiam omni conviciorum genere more ſuo contendat: noſtram reſponſionem non efflagitet, nec ſperet. Satis ille ſibi ipſi reſpondit li-

b 2 *bello*

bello ſuo, quem qui legat, nihil amplius neceſſe habet ut de tanto cenſore dijudicet. Satis pro nobis reſpondent exterì clariſſimi, qui ampliſſimum nobis teſtimonium doctrinæ, ac religionis tribuerunt. (1) *Satis & nos, quaſi id, quod evenit, fore divinaremus, ejuſmodi vituperatoribus multo ante reſpondimus, dum eos in Logica noſtra* (2) *tam bene ad effigiem veritatis expreſſos dedimus, ut, quid de*

---

(1) De doctrina præſertim *le Journal des Savans, ann.1752. Junii Vol. 2. pag.1199. ſeqq.* in quo epitoma Logicæ noſtræ cum tali auctoris laude habetur, ut viri illi doctiſſimi, & humaniſſimi dicere non dubitent: „ „ *Logique que nous croyons* préférable *a toutes celles qui* „ *l'ont* précédée. „ Anno autem præſenti 1753. *Menſe Martio* iidem viri doctiſſimi, quid de doctrina, ac modeſtia noſtri cenſoris judicandum ſit, diſerte declarant. Quibus addi poſſunt alii Galli doctiſſimi, ſcriptiſque Philoſophicis notiſſimi, qui eam in Gallicum ſermonem verti curarunt, &, ut audio, in lucem edetur. His adhiberi debent Itali nimis multi, etiam ex Regularium cœtu, qui in ſcholis ſuis Logicam noſtram Adoleſcentibus explanant: veluti Neapoli in Collegio Regali, in Ephebeo Regio, & in aliis ſcholis: Theani in Seminario Pontificio, & in aliis locis, etiam ultra Italiam.

De Religione vero præter Romanos cenſores, viros doctos, & pios, qui libros noſtros probarunt, pietatemque auctoris, & firmitatem ſententiarum laudarunt; Sacra Congregatio Indicis, quæ cenſoris noſtri librum in proſcriptorum numerum retulit.

(2) Libro IIII. part.1. cap.5. n.6. ſeqq. & cap.6. §.2. & 3. Sed præſertim Libro V. part. 2. cap. 3. & 4. ubi de *Pedantiſmo Rhetorico, & Philoſophico* diſputavimus.

de iis judicari debeat, quiſque, vel nullo monente, cognoſcat. Quibus quid hoc loco addi poſſit non videmus. Damus hoc ſanctiſſimis Chriſti legibus, quas profitemur; damus humanitati, quam præ oculis ferre ſolemus; damus & patriæ, quam boni cives amare debemus; ut tantam vim calumniarum, & injuriarum, quas homo iſte, nobis nunc primum nomine notus, in nos evomuit, cum nullo negotio propulſare poſſemus, taciti, & patienter feramus: ſperantes fore, ut bonum apud viros doctos, & probos nomen adipiſcamur, quod tales adverſarios, ut Philoſophum decet, contemnamus: ut Chriſtianum vero, & commiſeremur, & ex animi ſententia eis ignoſcamus.

Unam tantum in præſentia, & idoneam reſponſionem adhibemus, dum notum facimus omnibus Europæ Philoſophis clariſſimis [tantum abeſt ut hominis declamationes timeam, aut celare velim:] eſſe in Luſitania mirificum Peripateticum, tam præſtanti doctrina, tam acri judicio, tanta moderatione animi, tamque urbanis moribus præditum, ut nos, quod ea, quæ ad recte judicandum Recentiores omnes clariſſimi ſcripta reliquerunt, legerimus, ac in Logica noſtra diſpoſuerimus, auſus fuerit hac ætate, idque publico ſcripto, erroris, ſtultitiæ, abſurditatis, hæreſis, inpietatiſque

 con-

condemnare. Pro laude ſat eſt. Et de nugis hactenus, venio ad graviora.

Metaphyſicam itaque, Adoleſcentes optimi, ornatiſſimique, vobis in præſentia damus: non illam quidem veterem, longam, intricatam, quæque aciem ingenii hebetare potius, quam acuere, ſolebat; ſed brevem, perexpeditam, quæque ad reliquas diſciplinas percipiendas mentem acuat, viamque muniat. Quod ut facilius conſequeremur, curavimus ut hiſtoriam Metaphyſicæ primum poneremus: tum de natura, ac uſu Metaphyſicæ illius, quæ aliquid utilitatis adferre poteſt, diſputavimus: cui deinde Ontologiam utiliorem ſubjecimus. Itaque his libris noſtris non modo quidquid utile eſſet in Metaphyſica adducimus, ſed etiam, quod ad vitandas ineptas contentiones maxime valet, plane docemus, a quibus inutilibus diſputationibus abſtinere debeatis, quo melius judicetis. Quod ipſum hac ætate præcipui uſus eſt, tum ut intelligatis, ad quem finem diſciplinæ Philoſophicæ ſint inſtitutæ; ex iiſque appoſite ad rem quamque inluſtrandam diſputetis; tum etiam ut aliorum diſputationibus occurrere poſſitis, qui Metaphyſicæ diſciplinæ plus, quam par eſſet, tribuentes, in ea diutius inmorandum eſſe putant: eamque tam multis, tamque ſubtilibus diſputationibus exornant, ut

ad

ad id, quod ſibi proponere deberent, inutilem reddant. Quod non ſine magno reliquarum diſciplinarum incommodo evenit, quæ ob non bene explicatos Metaphyſicos notiones, cognitumque verum earum uſum, involvuntur potius, quam explicantur.

Equidem cum lego vel Hollmanni, vel Bylfingeri, vel Wolfii, vel etiam quorumdam, qui ſe pro Leibnizianis, & Wolfianis haberi nolunt, Metaphyſica ſcripta; cum vocabula illa vel barbara, vel ex Platone, aliiſque veteribus deſumta, quæ ſono quodam inſolito lectoribus inponunt, quibus ſenſa ſua explicare conantur; cum ſeriem illam plurium propoſitionum, quæ ad duas, vel tres facile revocarentur; cum apparatum, quo eas enuntiant, quaſi rem novam adferrent, non eam, quam ſenſu communi omnes admittunt; cum definitiones, & axiomata illa complexa, quæ ut intelligas diligenter ea dividere neceſſe habes; cum ordinem illum Geometricum, quo res, quas nulli ſanæ mentis non amplexantur, mirandum in modum inluſtrare ſibi perſuadent; cum demum ſententias plures Phyſicas, & Theologicas copioſe diſputatas, quas leviter attingere ſatis eſſet, mente reputo; vix riſum tenere poſſum, vixque mihi perſuadere, ejuſmodi homines, ſi rem ſine ulla anticipatione expenderent, talem diſputan-

 di

di rationem eſſe probaturos. Non quod ego graviſſimis Philoſophis, qui hæc faciunt, aliquid ſententia mea detractum velim, quorum ingeniis quantum tribuam, non uno tantum loco librorum meorum declaravi; ſed quod tam evidens eſt, ejuſmodi philoſophandi viam nihil aliud omnino, quam confuſionem, parere; ut qui hæc negant, qui talia defendunt, quid mentis habeant, intelligere non poſſim. Adeo ut illis ſolum, qui ex præjudicata Wolfianorum ſententia diſputent, clara, & expedita videri poſſint. (1) *Quid enim, ut cetera mittam, utilitatis adfert, ea pluribus exponere, & Geometrice demonſtrare, quæ nemini ſanæ mentis dubia ſunt, & vel ſemel audita intelliguntur? quid arcanis quibuſdam notis tamquam myſteria ea proponere, quæ communibus verbis ſatis clare exponerentur? quid ea minutatim explicare, quæ diſputandis tantum controverſiis & inanibus, & quæ ab humana mente finiri nequeunt, utilia eſſe poſſunt? Id ego certe non video.*

Quare Metaphyſicam diſciplinam nugis & gerris vacuam in ſuo lumine poſuimus: ad pauca capita reduximus: eaque hoc volumine tantum collegimus, quæ vobis planam, & perexpeditam ad ceteras diſciplinas non modo cum

(1) Vide quæ diſputabimus L.II. c.4.

do cum fructu operæ, ſed etiam cum quadam jucunditate addiſcendas viam complanet: quod Metaphyſicæ munus eſt. Sed hæc ex ipſa horumce librorum lectione clarius intelligetis. Vos igitur, Adoleſcentes recte philoſophandi ſtudioſi, ad eorum lectionem dimitto: vobiſque commendo, ut in iis vos ſedulo exerceatis, mentemque meam penitus cognoſcatis, priuſquam vos inmergatis in reliquas diſciplinas, deque iis dijudicare vobis ſumatis. Quod ſi feceritis, magnum operæ pretium, magnumque laboris compendium vos facturos eſſe confidimus. Valete, & me amate.

INDEX

Capitum, quæ his Libris continentur.

LIBER PRIMUS

In quo Hiſtoria Metaphyſicæ exponitur.

CAP. I. *De Metaphyſicæ nomine, origine, ac progreſſu.* pagina 2.
CAP. II. *De Metaphyſica Arabum, & Scholaſticorum.* p.7.
CAP. III. *De Metaphyſicæ emendatione tentata.* p.9.
CAP. IIII. *Diſputat de progreſſu Metaphyſicæ emendatæ, maxime ſæculo XVIII.* p.12.

LIBER SECUNDUS

In quo de natura, & uſu Ontologiæ diſputatur.

CAP. I. *Oſtenditur quid ſit Ontologia, & quo modo ſit nata.* p.27.
CAP. II. *Docet cui uſui, & utilitati ſit Ontologia.* p.32.

CAP. III. *Demonſtratur Metaphyſicos Scholæ haud recte Ontologiam pertractaſſe.* p.34.

CAP. IIII. *Docet philoſophos Recentiores Ontologiam accuratius expoſuiſſe, ſed alios alio modo.* p.41.

CAP. V. *Quo modo Ontologia ſit pertractanda demonſtrat.* p.47.

LIBER TERTIUS

In quo de Prima Ontologiæ parte, ſeu de modo cognoſcendi Primas veritates agitur.

CAP. I. *Quid ſint Primæ veritates demonſtratur.* p.51.

CAP. II. *Docet Primas veritates cognoſci poſſe* intimo ſenſu. p.53.

CAP. III. *Oſtenditur Primas veritates cognoſci itidem poſſe* recta ratione. p.54.

CAP. IIII. *Diluuntur argumenta eorum, qui negant* ullas eſſe veritates. p.60.

CAP. V. *Expenduntur eorum dubitationes, qui negant, quaſdam propoſitiones eſſe Primas veritates.* p.84.

CAP. VI. *Demonſtratur Primas veritates aliquas* ſenſibus *percipi poſſe.* p.91.

CAP. VII. *Oſtenditur Primas veritates aliquas etiam* aliorum auctoritate *cognitas haberi.* p.97.

LI-

LIBER QUARTUS

In quo de Altera Ontologiæ parte, nempe de Generalibus propoſitionibus, quæ ad omnes ſcientias pertinent, diſſeritur.

CAP. I.	*De partitione, & conſilio hujus Libri.*	p. 111.
CAP. II.	*De Ente, & non Ente.*	p. 114.
CAP. III.	*De Eſſentia.*	p. 123.
CAP. IIII.	*De Subſtantia, & Modis ejus, ubi de Relationibus, Exſiſtentia, Subſiſtentia.*	p. 137.
CAP. V.	*De Finito, & Infinito.*	p. 152.
CAP. VI.	*De Poſſibili, & Impoſſibili.*	p. 159.
CAP. VII.	*De Simplici, & Compoſito: Toto, & Parte.*	p. 164.
CAP. VIII.	*De Perfecto, & Imperfecto.*	p. 169.
CAP. VIIII.	*De Bono, & Malo.*	p. 175.
CAP. X.	*De Ordine, & non Ordine.*	p. 179.
CAP. XI.	*De Pulcro, & Deformi.*	p. 182.
CAP. XII.	*De Neceſſario, & Contingenti.*	p. 188.
CAP. XIII.	*De Naturali, & non Naturali.*	p. 193.
CAP. XIIII.	*De Duratione ſeu Tempore.*	p. 198.
CAP. XV.	*De Cauſſa, & Effectu.*	p. 207.
CAP. XVI.	*De Fine, & Exemplari.*	p. 220.
CAP. XVII.	*De Diſciplinarum omnium, quibus Ontologia inſervire poteſt, ordine, atque nexu.*	p. 224.

APPROBATIONES.

CL. V. Aloyſius Antonius Vernejus in ſuis *De Re Metaphyſica* Libris, quos de mandato Reverendiſſimi Patris Joſephi Auguſtini Orſi Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri accurate legi, meo quidem judicio nihil habet, quod cum Orthodoxæ Fidei Dogmatis adamuſſim non congruat, nihil quod a bonis moribus vel hilum abhorreat. Immo vero plura hac illac interſerit piiſſimus æque, ac doctiſſimus Auctor, quæ & virtutis amorem redolent, & Religiones obſequium teſtantur. Tanta inſuper luce perfundit difficillimam Philoſophiæ partem, ut tardioribus quoque ingeniis plana & aperta reddatur. Quocirca e re eſſe cenſeo nedum Luſitanorum Adoleſcentium, ſed totius Litterati Orbis, ut publici juris quantocyus fiat hoc prægrandis Operis tertium volumen, eoſdem ſibi, ſi recte auguror, conciliaturum plauſus, quibus priora duo ubique excepta fuere.

Dabam Romæ in Collegio S. Mariæ in Porticu in Campitello Prid. Non. Jul. An. MDCCLIII.

Curtius Reginaldus Boni e Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei S. T. L.

MAndato Reverendiſſimi Patris Joſephi Auguſtini Orſi S. P. A. Magiſtri accurate legi Metaphyſicam Illuſtriſſimi ac doctiſſimi Equitis Aloyſii An-

Antonii Verneii, utiliſſimum Opus non Juventuti modo, cujus in gratiam conſcriptum eſt, ſed etiam viris inter optima ſtudia ætatem agentibus. Nihil eo, in hoc quidem argumento, ad eruditionem copioſius, ad judicium limatius, ad rationem quod attinet diſſerendi elegantius, aut clarius facile invenies. Itaque dignum quod edatur exiſtimo, cum ea de cauſa, tum quod pietatem Auctoris erga Eccleſiam Romanam, ad hæc Fidem Catholicam, atque morum doctrinam ubique ſpiret.

Romæ ad Aram Cœli XII. Cal. Auguſti anno MDCCLIII.

Fr. Joannes De Luca Venetus Epiſcoporum Examinator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Pat. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtant. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph. Auguſtinus Orſi Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

Men-

Menda		Corrige
Pag.3. lin.14.	preſertim	præſertim
p.24. nota 3. l.7.	*Origines*	*Origenes*
p. 25. l. 24.	*Habemus*	*Tamen habemus*
p. 64. l. 23.	nulla	nullo
p. 76. l. 24.	nullus	ullus
p.104. l. penult.	*Benidictin.*	*Benedictin.*
p.105. l.ante pen.	*Origines*	*Origenes*
p.131. l. 18.	*intellignтiam*	*intelligentiam*
p.172. l. 16.	Propter a	Propterea
p.180. l. 16.	interoga	interroga

Litteras quaſdam, paucas numero, vel inverſas, vel diſtractas, facile Lector animadvertet, & emendabit.

Si-

Simul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur: ut pæne cum lacte nutricis errores ſuxiſſe videamur. Cum vero parentibus redditi, demum magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. Cicero *Tuſculanar. L.III. c.1.*

Eſt profecto animi medicina Philoſophia, cujus auxilium non, ut in corporis morbis, petendum eſt foris. Omnibuſque opibus, viribus, ut noſmet ipſi nobis mederi poſſimus, elaborandum eſt. Idem *ibid. cap.3.*

Primum igitur perſpicuitas magnam habet vim, ut ipſa per ſeſe ea, quæ ſint, nobis ita, ut ſint, indicet. Sed tamen ut maneamus firmius & conſtantius in perſpicuis, majore quadam opus eſt vel arte, vel diligentia, ne ab iis, quæ clara ſunt ipſa per ſeſe, quaſi præſtigiis quibuſdam, & captionibus, depellamur.... Oportet igitur & ea, quæ pro perſpicuitate reſponderi poſſunt, in promtu habere; & eſſe armatos ut occurrere poſſimus interrogationibus eorum, captioneſque diſcutere, quod deinceps facere conſtitui. Idem *Academicarum L.IIII. cap.14. 15.*

ALOY-

ALOYSII ANTONII VERNEII

EQUITIS TORQUATI, ARCHIDIACONI EBORENSIS

DE

RE METAPHYSICA

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBER PRIMUS

IN QUO

HISTORIA METAPHYSICAE EXPONITUR

Προοίμιον.

OPERAE pretium eſt, Adoleſcentes, antequam de Metaphyſicæ uſu, & utilitate dicere aggredior, hujuſce diſciplinæ naturam, originem, & viciſſitudines ſummatim perſequi; ne in ipſo operis veſtibulo vobis negotium exhibeamus. Nam cum tot tantaque de Metaphyſica Philoſophi non nulli maxime Scholaſti-

ci diſputent, eamque tot laudibus extollant, nihil ut, ſi eos audimus, ingenioſius excogitari poſſit, nihil ad diſciplinas graviores pro rei dignitate diſputandas accommodatius; rem totam exponere vobis non modo utile, ſed etiam neceſſarium eſſe exiſtimamus: ut vos ipſi hiſce myſteriis initiati, vel nemine monente, dijudicetis, an tantum eidem tribuendum ſit, quantum a non nullis tribui ſolet; an contra longe ipſa infra elogia illa ampliſſima & exquiſita jacere videatur. Nam ſi tanta ei ineſſet utilitas, tantaque ad res ſingulas penitus percipiendas facilitas, quantam de ea prædicant Metaphyſici vulgares, quis neget Metaphyſicam diſciplinam ceteris, quæ a quibuſdam utiles prædicantur, longe eſſe anteponendam; beneque ac diligenter ante ceteras addiſcendam? Sin autem ad ea conſequenda nihil, aut parum in Metaphyſica illa vulgata habeatur ſubſidii, nemo niſi ineptus dubitabit, quin ejuſmodi doctrina tantum ſit adtingenda, vel leviter deguſtanda: ne, dum in ea aliquid eſſe ſani, & exquiſiti boni judicamus, tempus & operam inutiliter conſumamus. Sed de his infra copioſius diſſeremus: nunc ad id, quod erat propoſitum, veniamus.

Caput I.

De Metaphyſicæ nomine, origine, ac progreſſu.

Metaphyſicæ vocabulum non niſi Caii Julii Cæſaris ætate inventum videtur. Nam cum Tyrannio Amiſſenus grammaticus, & Andronicus Rho-

Rhodius, [1] facta ſibi a Lucio Sulla dictatore poteſtate, Ariſtotelis libros in certas claſſes digererent, & alios ad Logicam, alios ad Phyſicam, alios ad Ethicam revocarent; aliqui ſupereſſent, qui ad nullam claſſem referri poſſe viderentur; hos poſt Phyſicam poſuerunt, & τὰ μετὰ τὰ φυσικά, quaſi dicas, *Phyſicis libris adjecta*, nominarunt. Cumque in iis libris Ariſtoteles de *Ente*, ejuſque *adfectionibus*, & *cauſſis*, itemque *de Primo Motore*, & *Intelligentiis*, quæ ex eo emanant, confuſe & nullo ordine agat; [2] hinc Ariſtotelici, qui poſt fuere, quidquid de *Ente*, & *Intelligentiis* generatim dicitur, *Metaphyſicam* appellandam eſſe cenſuerunt.

Alii autem, preſertim Arabes, horumque ſucceſſores Scholaſtici, nodum quærentes in ſcirpo, in

---

[1] *Ariſtotelis ſcripta, quæ Theophraſto primum, dein Neleo relicta fuere, ab ejus heredibus permultos annos humi abſcondita ſunt. Inde cum extraherentur humore penitus corrupta, vendita fuere Apelliconi Tejo, qui depravata loca inperite ſupplevit. Subactis Athenis a L. Sulla, Apelliconis bibliotheca ejus juſſu Romam delata eſt: ubi Tyrannio primum, deinde Andronicus Rhodius Ariſtotelis opera recenſuerunt, & ordine poſuerunt. Vide quæ diſputavimus in Logica L.I. c.3. itemque Franciſcum Patricium* Diſcuſſion. Peripatet. Tom.I. l.5. p. m. 62.

[2] *Præſertim L.XI. & XIII. Quanto autem confuſi ſint vitio* Metaphyſicorum *libri, eorum conſpectus declarat. Nam cum explicandæ ſubſtantiæ ſpiritali præſertim naturæ Dei, ſeu primi motoris* [id

in ipſo Metaphyſicæ vocabulo myſterium videre aliquod ſibi viſi ſunt. Nam cum animadverterent μετὰ τὴν φυσικὴν *trans*, ſeu *ſupra Phyſicam* interpretari poſſe; ſine ulla dubitatione judicarunt, eo vocabulo deſignari *ſcientiam quamdam ſupra corporum inveſtigationem poſitam*: quam proinde veluti aliquid reconditum & exquiſitum ceteris obtruſere.

Ut ut eſt de nomine *Metaphyſicæ*, id certum ex hiſtoria eſt, Platonem, [1] qui primus de Metaphyſico argumento in Philoſophia diſputavit, *Dialecticam* id nominaſſe: ſtatuit enim præcipuum Dialecticæ objectum eſſe ideas illas ſuas univerſales, & æternas. Quod argumentum Ariſtoteles largius exponens *Libris XIIII. Metaphyſicorum*, qui ſuperſunt, *Sapientiam primam*, *Philoſophiam primam*, *Theologiam*, alio & alio nomine appellavit.

Por-

[*id enim ſignificat Ariſt. cum ait*, ens quatenus ens eſt] *conſecrati fuerint*, & CXLI. *capitibus abſolvantur, tamen ſola quinque poſteriora Libri XII. capita aliquid habent de ſubſtantia ſpiritali. Quare ut aliquem in iis nexum invenirent mutarunt vulgatum ordinem Sam. Petitus* Miſcellan. L.IIII. c.9. & *Jac. Thomaſius* Hiſt. Metaphyſ. §. x. p. 71. & *alii*.

[1] *Ante Platonem Pythagoras* de prima Sapientia, & *de rebus incorporeis paullo ſubtilius, quam reliqui, diſputavit. Ex quo ad Eleaticos philoſophos, ex iis vero ad Platonem eadem ratio & conſuetudo pervenit. Sed cum nihil ſcriptum reliquerit Pythagoras; Eleaticorum non niſi fragmenta ſuperſint; merito ſuo Plato, ejuſque auditor Ariſteteles, Metaphyſicæ conditores habentur.*

Porro Ariſtotelis Metaphyſica tota quanta eſt ex Platone præceptore deſumta eſt. Verum cum Ariſtoteles de more ſuo aliquid novum, & inauditum proferre conaretur, quo ſibi facilius ingenii laudem compararet, totam diſciplinam hanc tam perturbate contorteque tractavit, ut alia, ac illa erat Platonis, hominibus non callide cogitantibus videretur: nam tam multa de notionibus abſtractis & univerſalibus ante diſputat, ut eo modo, quo ab eo tractatur, nihil ante eum ſcriptum reperiatur. Reapſe vero de Platonis *ideis*, ſeu *ſubſtantiis immutabilibus* in illis libris diſputat Ariſtoteles: [1] quæ ſubſtantiæ & per ſe ſubſiſtant; & materiæ fluxæ ac æternum tempus mutabili adjectæ, certam eidem naturam & formam dent; & ex quibus, ceu cauſſa prima, ac idearum fonte, cetera per *emanationes* quaſdam, uti vocant, proficiſcantur.

Quare quidquid Ariſtoteles de *Ente* generatim, ejuſque cauſſis, & principiis diſputat, niſi ad principia illa Platonica *idearum* referatur, intelligi nullo modo poteſt. Quod qui non faciunt, ut Scholaſtici plerique omnes non faciunt; atque nulla habita ratione Mathematicarum notionum, & hypotheſium Græcæ philoſophiæ, quas ſæpe adfert & confutat; tum etiam obſcuriſſimæ philoſophandi viæ, qua prædictis in libris utitur Ariſtoteles, ad eum interpretandum animum adjungunt, ne illi palam Ariſtotelicarum hypotheſium inſcitiam ſuam patefaciant.

Hæc cum non niſi ex Ariſtotelis ore, ejuſque

 ſcri-

[1] *Adiſis Patricium loc. cit. Tom. II. l. 2. p. 196. ſeqq.*

ſcriptis reconditioribus aperte intelligi poſſent, extitit, ut poſt Stratonem Lampſacenum, Theophraſti auditorem, uſque ad Andronicum Rhodium, per annos circiter CCXII. [his temporibus Ariſtotelica ſcripta, quæ tamdiu latuerant, uti diximus, lucem viderunt] germana Ariſtotelis ſententia cognita non fuerit. Cumque Andronici, id eſt Ciceronis, ætate plurima inepte ac inperite vitiatis codicibus fuerint adjecta, alia mutilata, librorumque ordo *Metaphyſicorum* turbatus; tum denique deeſſent aliqui Ariſtotelis libri Metaphyſici; nec aliquis reperiretur, qui medicas manus adhibere poſſet; evenit ut Ariſtotelis ſtudioſi non verum præceptoris ſyſtema, quod ex Platone deſumſerat, ſed novam ex ejus ſcriptis diſciplinam elicuerint, quam *Metaphyſicam* appellarunt. Quæ in hoc tota erat, ut de Ente, ejuſque proprietatibus in univerſum differeret, quæ erat *Ontologia*: cui parum admodum de Spiritibus, ſeu de *Pneumatologia*, & de Deo, ſeu de *Theologia Naturali* adhibuerunt. Cum e contrario Ariſtoteles iis libris de Theologia illa ſua Naturali potiſſimum diſputare ſibi proponat: Ontologiam vero quaſi præparationem quamdam, ſeu pediſequam adjungat. [1] At cum Ariſtotelica philoſophia in Occidente paullo poſt,

---

[1] *De Metaphyſica Ariſtotelis apud PP. priorum Eccleſiæ ſæculorum veſtigia non offendimus: ſi excipias Boethium, qui VI. ſæculo librum edidit* de Unitate, & uno: *& Joannem Philoponum, qui libros* Metaphyſ. Ariſt. *ſæculo eodem labente, vel ſub initium VII. expoſuit: qui ex abuſu prædictæ Me-*

poſt, ideſt poſt ſæculum VI., tantum non omnis evaneſceret, idque ad ſolidum ſæculum uſque XII., rudis & informis nova illa Metaphyſica remanſit. [1]

Caput II.

De Metaphyſica Arabum, & Scholaſticorum.

EAM tamen Arabes, & Scholaſtici alii alio tempore perfecerunt, mirandumque in modum amplificarunt, ſed eadem ratione, ac primi. [2] Nam cum in eamdem diſciplinam inciderent, & Græcæ linguæ, ac veteris Philoſophiæ rudes, atque ignari, *Metaphyſicorum* libros ſubtilius, quam par erat, interpretarentur; id eſt, non ad præceptoris germanum ſyſtema exigerent, ſed ſecundum interpretum, qui eos depravaverant, [3] opinio-

 nes

Metaph. in graves errores incidit. Ceteri Ariſtotelem odio habebant: nec niſi ejus Dialecticam, ut occurrerent Hæreticis, qui ea delectabantur, adhibuerunt coacti.

[1] *Jac. Thomaſius* Hiſt. Metaphyſ. §.38.

[2] *Arabes a ſæculo VIIII. Scholaſtici autem ab initio ſæculi XIII. [hoc tempore Ariſtotelica Metaphyſica Occidentalibus innoteſcere cœpit] in interpretationem Ariſtotelicæ doctrinæ toto animo incubuerunt.*

[3] *Ab Andronico ad Ammonium minus depravata exſtitit philoſophia Peripatetica. Verum ab Ammonii [div[illegible] Ammonio Sacca] ætate, qui circiter Ner[illegible]is imperatoris tempora floruit, depra-*

va[illegible]

nes explanarent; novam illam Metaphyſicam in juſtum diſciplinæ habitum reduxerunt: eamque ita expoſuerunt, ut fere omnis Metaphyſica eorum Ontologia, id eſt *ſcientia de Ente*, abſolveretur: cui admiſcuere unum & aliud de *Deo*, & *Spiritibus* appendiculæ loco. Quod idem ad integrum uſque ſæculum XVI. obtinuit in Occidente, ut eorumdem libri, qui nihil, niſi de ente vel *vero*, vel *ficto*, continent, teſtantur.

Scholaſticorum itaque Metaphyſica, etiamſi Ariſtotelica nominetur, nihil minus eſt quam Ariſtotelica, nec niſi rerum nomina cum Ariſtotelica commune habet: quod vel ex ſola opinionum Ariſtotelis cum Scholaſticorum ſententiis comparatione manifeſtum ſit. Hæc tamen vulgares negant Scholaſtici: negent: ſed iis, qui hiſtoriam Philoſophicam vel primoribus labris deguſtarunt, & quibus de talibus rebus judicandi jus eſt, minime dubium eſt.

De *Pneumatologia* vero, & *Naturali Theologia*

vatior eſſe cœpit: nam plurimi Ariſtotelem cum Zenone, & Platone in concordiam inepto ſyncretiſmo *reducere conati ſunt. Immo & Alexandri Aphrodiſienſis* [*hic ſub Antonino Caracalla vixit inito III. a Chriſto ſæculo*] *ſchola, quæ preſſius Ariſtotelem ſequebatur, multa Ariſtoteli ſuo per errorem tribuit. Sed multo deterius id fecere paullo poſt Eclectici, ſeu Platonis ſectatores, ut Porphyrius, Jamblichus, Simplicius, ceteri, qui ita ſingula miſcuerunt, & copularunt, ut in eorum ſcriptis, quid Platoni, quid Ariſtoteli vindicari debeat, dignoſci non poſſit: ex quo occaſio fuerunt multorum errorum.*

gia vix unus & alter eorum ſeorſum diſputavit. Laudem tamen, ut iis temporibus, habuit Raymundus quidam de Sadunde in *Theologia Naturali*, [1] quæ tamen non omnibus placuit: & Theophilus Raynaudus Jeſuita, qui ineunte ſæculo XVII. [2] edidit *Theolog. Naturalem*: in qua tamen plurima ſubtilia, & ad rem non pertinentia diſputavit, [3] parum aut nihil recedens a conſuetudine ſæculi ſui, & Metaphyſica vulgari.

Caput III.

De Metaphyſicæ emendatione tentata.

JAM ſæculo XVII. ineunte cum animadverterent Philoſophi non nulli, ex illa Metaphyſicam tractandi ratione, quam Scholaſtici amplexabantur, parum aut nihil utilitatis adferri ſeverioribus diſciplinis recte tradendis, perpoliendis, amplificandiſque, de emendanda ejuſmodi diſciplina ſerio cogitarunt. Quos inter referri debent, præter Nicolaum Taurellum, & Thomam Campanellam, qui aliquid tentarunt potius, quam perfecerunt; acutiſſimi Philoſophi, Henricus Morus, Joannes Claubergius, Petrus Sylvanus Regiſius, Nicolaus Malebranchius, aliique & eodem, & præſenti ſæculo. Id tamen non omnes eadem ratione præſtiterunt. Nam

[1] *Vide Nicol. Antonium in* Bibl. Hiſp. Veteri Tom.II. L.10. c.3.

[2] 1622. *Lugduni*. 4.

[3] *Errata Theophili Raynaudi præcipua tetigimus in* Apparatu noſtro, Part.I. l.2. cap.5. p.221.

Nam aliqui, ut Verulamius, [1] *Metaphyſicam* ſtricte acceptam [hæc ex ejus ſententia de mente humana, idea, forma rerum naturalium, atque fine explicat] partem *Phyſicæ* eſſe voluerunt, & ad Phyſicam retulerunt. Tractationem de Deo, uno, vero, bono, ſpiritibus, *ad Theologiam Naturalem*. Partem vero illam, quæ de principiis, axiomatibuſque generalibus, quibus omnis ſcientia nititur, differit, a Metaphyſica, & Theologia Naturali ſeparandam eſſe judicarunt, & *philoſophiam Primam* appellarunt.

Alii doctrina de Deo, & ſpiritibus, & communibus ſcientiarum principiis *Metaphyſicam* definiverunt: ut Carteſius [2] Hamelius, Rudigerus, Syrbius, itemque Chriſtianus Wolfius: quibus addi poſſunt Peripatetici haud pauci. Sed alii alio modo. Nam quidam Metaphyſicum argumentum in partes diviſerunt, atque diſputationem de Deo *Theologiam Naturalem*, de animo humano *Pſychologiam* appellarunt: Metaphyſicam autem ſtricte acceptam eamdem *philoſophiam Primam* ſeu *Ontologiam* eſſe dixerunt, quæ generalia principia omnis humanæ cognitionis ſuppeditet: cui addiderunt *Coſmologiam*, quæ de mundo generatim diſputet: veluti Chr. Wolfius, ejuſque adſeclæ, & præter ceteros Baumeiſterus. His adjungi poteſt Syrbius, & Hollmannus, qui de *philoſophia Prima* copioſiſſime diſputarunt: diverſo tamen modo, ille maiori apparatu eam cum reliquis exponens, hic preſſius. Itemque Joannes Claubergius, & Joan. Clercius, qui

[1] De Augment. Scient. L.III c.4.

[2] In Meditation. de Prima Philoſoph.

qui Ontologiam a reliquis partibus ſeorſum expoſuerunt. Non nulli Metaphyſicæ partem in Logica diſputandam eſſe judicabant, ut Auctor Artis cogitandi, Crouſatius, Malebranchius, & reliqui: immo & Henricus Morus, qui *Ontologiam* ad Logicam refert: *Metaphyſicam* vero in ſola rerum ſpiritualium, nempe Dei, Angelorum, & Humanarum mentium, inveſtigatione occupandam eſſe defendit. [1] Alii autem ſtrictius accipiunt, & in *Metaphyſica* ſua de Deo agunt, ut Geulingius, Cornel. Bontekoe, & alii Recentiores, qui nomine *Metaphyſica* nihil aliud ſignificant niſi *Theologiam Naturalem*. Contra quidam, & in quidem recentiſſimus, nomini *Metaphyſica* non modo *Theologiam Naturalem*, & *Pſychologiam*, verum etiam *Phyſicam generalem* ſupponi debere ait. *Ontologiam* vero e diſciplinarum numero delendam eſſe plurimis verbis contendit.

Fuere qui omnem ex Philoſophia Metaphyſicam ejiciendam eſſe putarent, ut ſectatores Danielis Hoffmanni, veluti Schillingius, Ameſius, alii. Fuere qui dicerent, non alio nomine retinendam eſſe Metaphyſicam, niſi veluti Lexicon, ex quo Philoſophorum lingua, ſeu peculiares voces, ac dicendi formulæ intelligi poſſent. In quam ſententiam diſputavit ſuperiori ſæculo Jacobus Thomaſius, [2] a quo non omnino diſſentit Chriſtianus filius: [3] hoc vero noſtro, Joannes Franciſcus Buddeus, [4] alii.

[1] In Enchiridio Metaphyſico.
[2] In Hiſtor. Metaphyſicæ §. 16. 33.
[3] Cautelæ circa præcogn. Juriſprud. c. 12. §. 3.
[4] Elem. Philoſoph. Inſtrum. P. IIII.

aliique non infimi ordinis. Aliis ſuperſedendum judicamus.

Inficiandum non eſt tam varias tamque diſcrepantes Philoſophorum ſententias hoc boni adtuliſſe emendationi Metaphyſicæ, ut expenſis in utramque partem rationum momentis, quænam anteponenda eſſet ſententia, facilius cognoſceretur. At errarunt plurimi, ineptiſſimeque delirarunt. Fateor: ſed ejuſmodi errores cauſſa fuere cur alii vel verum invenerint, vel ad veritatem quam proxime acceſſerint. Quod profecto uſuvenit: nam ab eo tempore multo accuratius de Metaphyſica nobiles Philoſophi diſſeruerunt, inutilia præciderunt; atque, omiſſa obſcura illa, & AEgyptiaca, ut ita dicam, diſputandi ratione, quam Peripatetici ſequebantur, intelligebantque ipſi ſoli, non alii, Metaphyſicum argumentum late acceptum, ſatis ſe ipſo obſcurum, quam planiſſime atque apertiſſime expoſuerunt, politeque ſcriptum ediderunt in vulgus, ut infra ſuo loco demonſtrabimus.

Caput IIII.

Diſputat de progreſſu Metaphyſicæ emendatæ, maxime ſæculo XVIII.

Quamquam vero Scholaſtici ſua ætate in Metaphyſico argumento dies, noctesque verſarentur, nec aliquid ultra ſapere viderentur, numquam tamen acrius & vehementius, quam fine ſæculi vicini, & hoc octavo decimo in Metaphyſicæ ſtudium incubuerunt Philoſophi: nam & Metaphyſicam

ſicam diſciplinam in partes accuratiſſime diviſerunt, & ſingulas ſuis nominibus inſigniverunt, & eas ſeorſum, idque acerrimo ingenio, explanarunt. Quidquid igitur Metaphyſicum Antiquiores appellarunt, diviſerunt Recentiores philoſophi in partes duas, *Ontologiam*, & *Pneumatologiam*. Hanc rurſum in *Pſychologiam*, & *Theologiam Naturalem* partiti ſunt. *Ontologia* de ente, ejuſque proprietatibus generatim diſſerit. *Pſychologia* de anima hominis, ac illius adfectionibus, & complexione, ſeu, ut Phyſici vocant, unione ejus & corporis. *Theologia* vero *Naturalis* de Deo, & Angelis: quæ ultima pars *Dæmonologia* a non nullis appellari claritatis gratia ſolet. Quam diſputandi viam Joannes Clercius, & maxime Chr. Wolfius ante alios ſecutus eſt, qui Wolfius aliquot partes iterum in alias diſpertivit.

In ſingulis autem partibus explanandis quanto ſtudio & accuratione Recentiores verſati ſint, ii ſolum judicare poterunt, qui Litterariam hiſtoriam, præſertim a conditis Academiis Regiis, pæne cognitam habeant & exploratam. Illud pro certo adfirmare poſſumus, tanto in lumine a quinquaginta ante annis argumentum Metaphyſicum poſitum eſſe, quanto Antiquiores metaphyſici vix ſuſpicari potuerunt. Quod eorumdem Recentiorum ſcripta declarant: in quibus ſingulæ Metaphyſicæ partes intricatiores accurate, & judicio explanantur. Quæ hoc loco breviter perſtringere non alienum videtur a conſilio operis. Saltim veſtri gratia, Adoleſcentes optimi, qui in recentioribus iſtis & diſputationibus, & libris plane hoſpites eſtis, præcipua argumenta, inluſtrioreſque auctores per-

cen-

cenſere inopportunum non erit. Habebitiſque nobis gratiam, quod fontes, unde haurire poſſitis, cum per ætatem, & doctrinam licuerit, ſine ulla ambiguitate vobis aperiamus. Quidquid dicant ſcioli quidam, qui notitiam auctorum, quaſi ad faciendum bonum Philoſophum importunam, irrident, cachinniſque excipiunt: quos in tantis an ignorantiæ, an dementiæ, tenebris verſari, patimur æquo animo. Revertor ad propoſitum.

I. Quod ad *Ontologiam* ſpectat, de *principio rationis ſufficientis* accuratiſſime diſputatum eſt a philoſophis Recentioribus. Leibnizius, ac Wolfius eam omni ſtudio defendunt, eorumque ſectatores, Straehlerus, Carpovius, Bylfingerus, Ludovicius, Hagmaierus, & reliqui. Contra vero Philoſophi graviſſimi, qui Leibnizium, & Wolfium magni faciunt, eam confutant, velut Hollmannus, Langius, Gottſchedius, Mullerus, ceterique, qui *Harmoniam præſtabilitam* rejiciunt: &, quod mirabilius, eorum aliquis, qui *Harmoniam* non omnino explodit, ut Reinbeckius *Comment. de Harmon. Præſtab. p.*45.

Nec minus vehementer iidem Recentiores de exiſtentia *vacui* contenderunt. Negant Carteſius, Malebranchius, Leibnizius, Hartſoekerus, Wolfius, aliique viri graviſſimi. Exſtare vero magna rationum copia efficiunt Gaſſendus Newtonus, Graveſſandius, Muſſchenbroekius, Lockius, & alii nimis multi.

Item de natura *ſpatii vacui* acerrime decertarunt inter ſe philoſophi Moderni. Carteſius ſecundum

dum Ariſtotelem [1] ſpatium a corpore non diſtinguit. Cordemæus *nihilum Phyſicum*, ſeu *poſſibilitatem ponendorum corporum* eſſe putat; a quo non longe abit Weigelius, Stair, aliique. At Morus, Newtonus, ejuſque adſeclæ aliqui, veluti Raphſonus, Clarckius, hujuſque Apologiſta, [2] contendunt, ſpatium eſſe ipſum Deum. Contra Apologiſtæ adverſarius [3] aliique contrariam ſententiam defendunt. Sed hæc, aliaque Coſmologica ad Phyſicam magis, quam ad Ontologiam, pertinere videntur.

Præterea de *indiſcernibilibus* ſeu *individuis* itidem diſputarunt Moderni magno acumine ingenii. Leibnizius individua ſolo numero diverſa acriter negabat, itemque Wolfius, ejuſque ſectatores. At Clarckius cum Leibnizio diſputans pro iis pugnabat. Ex quibus ceteri, qui poſt fuere, & argumenta,

---

[1] Phyſic. L.IIII. c.3. text.12. & c.4. text.35. & c.11. & 13. & 12. *ubi poſtquam probavit penetrationem* teſſeræ *&* inanis *eſſe fictam; non ſecus ac teſſeræ, & teſſeræ, ita quærit:* τὶ ἂν διοίσει τὸ τοῦ κύβου σῶμα τοῦ ἴσου κενοῦ καὶ τόπου. καὶ εἰ δύο τοιαῦτα, διὰ τί οὐ καὶ ὁποσαοῦν ἐν τῷ αὐτῷ εἶναι. *id eſt*: Quid ergo differet (*ratione dimenſionis*) corpus teſſeræ ab æquali inani & loco? & ſi duo ejuſmodi, cur non etiam quotcumque in eodem erunt?

[2] *Libro Londini edito* 1732. *& inſcripto*: A Defence of Dr. Clarkes Demonſtration of the Being & attributes of God &c.

[3] *Libro itidem Londini edito* 1733. *& ita inſcripto*: Dr. Clarkes Notions of ſpace examined.

ta, & rationem diſputandi ſumſere, quæ duo mirifice amplificarunt.

II. Venio ad *Theologiam Naturalem*, quæ potiſſimum eſt conſideranda. Innumeri autem noſtra, & parentum memoria Athei exſtitere, qui vel aperte, vel callide Deum eſſe negarent: [1] maximum omnium flagitium admittentes, naturæque ipſi, quæ Deum conditorem ſuum ex omni parte oſtendit, aperte audacterque repugnantes. [2] Hos tamen alii, ut meriti erant, labefactarunt, perfregeruntque: qui adeo multi ſunt, ut eos enumerare, id eſſet integrum librum ſcribere velle: quare nobiliores tantum indicabimus.

Ex

[1] *Atheiſmi hiſtoriam ſcripſerunt ex Recentioribus non nulli, quos inter excellunt Jenkinus Thomaſius* Hiſtoria Philoſophica de Atheiſmo. 8. *J. Fr. Buddeus* Theſes de Atheiſmo cum adnotationibus Adriani Buurt. Trajecti ad Rhenum 1737. 8. *& Jacob. Frideric. Reimmannus* Hiſtoria Atheiſmi. Hildeſ. 1725. 8.

[2] *Sint re vera Athei, an non, magna quæſtio eſt. Nullos exſtitiſſe Atheos, aliqui viri docti putarunt: maxime vero Antiquos philoſophos nullo modo Atheos dici poſſe, contendit Joan. Chriſtophorus Wolfius in libro* de Atheiſmi falſo ſuſpectis, *& alii poſt eum. E contrario veteres plures Atheos fuiſſe, defendit poſt alios Joannes Henricus Poppius* de Atheiſmo Philoſophorum Gentilium celebriorum, *& Joannes Franciſcus Buddeus* de Spinoziſmo Ante Spinozam, *itemque* in Theſibus de Atheiſmo cap. 1. *ubi alios facit Atheos Theoreticos*

pri-

Ex Proteſtantibus ante alios in id incubuerunt, Samuel Parkerus, Radulphus Cudworthus, Joan. Rayus, Bentleyus, Derhamius, Samuel Clarckius, Nieuwenthytius, Jacquelotius, J. F. Buddeus, Chriſtianus Wolfius, Hadrianus Buurt. Ex Catholicis P. D. Huetius, Magalotius, Fenelonus, Treviſanius, Franc. Lamius.

Cum autem duo ſuperiori ſæculo athei Theoretici inpietate ſua præ ceteris nobilitati ſint, & in omnium ſermone verſentur, *Benedictus de Spinoza* Batavus, & *Joannes Tolandus* Hibernus, qui libris editis ſuum atheiſmum declararint; eorum oppugnatores adducere erit operæ pretium. *Spinozam* confutarunt nimis multi: inluſtriores ſunt ex Proteſtantium cœtu Joannes Bredenburgius, Guil. Blyenburgius, Jacquelotius, Henricus Morus, Sam. Clarckius, Nieuwenthytius. [1] Ex noſtris vero, Huetius, le Vaſſor, Franciſcus Lamius, aliique. *Tolandum* labefactarunt ex illis, Jac. Fayus, J. F. Buddeus, & Clarckius. Ex noſtris Morinus apud de Tilladet, ſive Huetius, aliique.

Præſertim vero *de ratione demonſtrandi exſiſtentiam Dei* ſumma animi contentione diſſeruerunt

primi ordinis, *alios* ſecundi: *quo ipſo adverſarii omnes in concordiam ſine labore reducuntur. Saltim ſcripta, quæ hoc, & ſuperiori ſæculo ab adſeclis vel Spinozæ, vel Tolandi, vel aliorum edita ſunt, de exſiſtentia Atheorum, ſaltim* ſecundi ordinis, *dubitare non ſinunt.*

[1] *Vide G. Frider. Jenichen* Hiſtoria Spinoziſmi Leenhofiani. Lipſiæ 1706. pag. 58. 74. *qui ſcripta enarrat.*

non nulli, ut Leibnizius, Wolfius, Clarckius, qui Metaphyſica argumenta & demonſtrationes, eas præſertim, quæ a contingentia rerum deſumuntur, præter cetera extulerunt: reliqua, veluti ad propulſandos Atheos minus efficacia, prætermiſerunt. At Jacquelotius, Derhamius, Nieuwenthytius, J. Rayus, aliique in argumentis Phyſicis explanandis induſtriam omnem poſuerunt, eaque maxime prædicarunt.

De *Dæmonologia* item acerrime diſputatum eſt a duobus ante ſæculis. Nam tametſi de Dæmoniis, ſeu Laribus, & Geniis Veteres non modo Ethnici, ſed etiam Chriſtiani, itemqne Scholaſtici copioſe locuti ſint; tamen multo copioſius extrema hac ætate id factum eſt. Quæſtio autem erat præſertim de apparitionibus Dæmonum malorum, de eorum operationibus, de ſpectris, de ſagis, de veneficis. Negarunt has operationes Dæmonum ſatis multi eruditi: quo in numero ſunt Antonius Van Dale *de Oraculis Ethnicorum*, itemque de *Divinationibus Judæorum Idololatricis*: Fontenellius Academiæ Scientiarum Pariſienſis a ſecretis in *Hiſtoria Oraculorum*: Chr. Thomaſius *in Diſputat. de crimine Magiæ*, & in aliis ſcriptis: & præter ceteros, qui adduci poſſent, Balthaſar Beckerus *in Mundo ſuo faſcinato*, quem anno cIↃIↃCLXXXXI. edidit.

Sed Van Dalio, & Fontenellio reſpondit Franciſcus Baltus Jeſuita, *dans la Reponſe a l'hiſtoire des Oracles de Mr. de Fontenelle*. Thomaſio vero Carol. Frider. Romani libro inſcripto: *Schediaſma Polemicum expendens quæſtionem, an dentur ſpectra, magi, & ſagæ*. Beckero demum, qui ob inauditas opiniones quaſdam innumeros in ſe adver-

verſarios incitarat, ita multi reſponderunt, ut facile enumerari non poſſint: excellunt Melch. Leydeckerus, Van der Wayen, Simon de Vries, Joannes Aalſtius, & Paullus Steenwinckel, Petrus Poiretus, P. Van Maſtricht, Van der Hooght, aliique laudati a Grappio in *Theologia recens controverſa continuata*.

Addendi his ſunt illi, qui in operationibus ſpirituum percenſendis,defendendiſque egregie laborarunt; cujuſmodi ſunt Henricus Morus, Joſephus Glanvilius in *Sadducæiſmo triumphato*, Lambertus Daneus, Teophilus Spizelius, Martinus Antonius Delrio, Eraſmus Franciſcus, ceterique, qui tamen non omnes eodem pretio cenſentur, eademque utuntur ἀκριβείᾳ quæ in hoc negotio potiſſimum deſiderari non debet.

III. Etiam *Pſychologia* luculentam decertationum materiam præbuit. Nam quidam Stratonis Lampſaceni Peripatetici ſententiam ab oblivione vindicantes, defenderunt, animam humanam eſſe materialem ſeu materiam, quæ materia vi quadam ſua vitali, & plaſtica, non vero ratione aliqua, & ſenſu, ſingulas materiæ partes conformet alio & alio modo: quos *Materialiſtas* vocant. [1] Quod ipſum ſed aliis, & aliis verbis præter Hobbeſium,

 & Spi-

[1] *Ut veteres Materialiſtæ & multi, & varii fuere, & varia cogitarunt, ita & recentiores in varias ſententias ivere. Veterum aliter de animi humani natura philoſophabatur Empedocles, aliter Zeno Cittieus, aliter Ariſtoxenus, aliter Xenocrates, aliter Dicæarchus, ceteri, tametſi omnes Materia-*

& Spinozam, inpios homines, defendere conatus eſt alter inpius, Guilelmus Cowardus medicus Londinenſis in *Cogitationibus Poſterioribus de Anima*, & in *Vindicatione rationis, & religionis contra impoſturas Philoſophiæ*. Sed inpudentiſſimum, & ſtolidiſſimum hominem perfregerunt Joannes Broughtonus, edito *Tractatu de Natura Animæ Rationalis*; itemque Menardus, Lesleyus, Aſshetonus, aliique. Eumdem errorem admiſit hoc ſæculo Hocheiſenius, quem Bucherus refutavit. Ut ea taceam, quæ de facultatibus animæ Carteſiani, Leibniziani, aliique differuerunt.

Neque vero minori contentione & animi, & corporis *Libertatem animi noſtri* defenderunt philoſophi Recentiores contra Hobbeſium, qui fatalem quamdam neceſſitatem inducere conabatur, tollereque libertatem. Quod ille efficere præſertim adortus eſt quodam libro, quem contra Joannem Bramhallum epiſcopum Derienſem edidit. Eum tamen luculentiſſime confutarunt ex Anglis Cumberlandius *Diſquiſ. Philoſ. de Legibus Nat*: ex Germanis Leibnizius *Conſid. ad opus Hobbeſii de Lib. neceſſ. & caſu fort*: ex Italis præter ceteros Moniglia *Differt. contro i Fatal. Part.*2. Maiorem adhuc & acuminis, & ſophiſmatum copiam ad eumdem errorem defendendum adduxit alter Anglus, Collinſius libro ita inſcripto: *Recherches philoſoph. ſur la liberté de l'Hom-*

terialiſtæ eſſent. Vide Ciceron. Tuſcul. Diſp. L.I. c.9. ſeqq. *Ita & ex recentioribus Hobbeſius, Tolandus, Spinoza, ceterique, etſi eamdem inpietatem defendant, varie ſe explicant, & ex diverſis principiis ſua ducunt.*

l'Homme: quem ex ipſis Anglis refutavit Clarckius *Remarq. ſur un Liv. int. Recherches &c.* & in *epiſtolis* quibuſdam: itemque laudatus Moniglia P.I. ſect.4. Hæ tamen omnes decertationes vehementius inſtauratæ ſunt poſtquam Leibnizius primo, tum Wolfius ediderunt ſyſtema *Harmoniæ Præſtabilitæ*, ut explicarent complexionem animi & corporis, ſeu rationem qua alterum ab altero adficitur, & movetur. Nam quidam opponebant, ex prædicto ſyſtemate plane infirmari libertatem noſtram. Alii e contrario ſyſtema Leibnizio-Wolfianum defendendum ſuſcepere, ajentes, ex eo nequaquam offici humanæ voluntatis libertati: quod fecit ſingulari libro Chriſtian. Wolfius, itemque Georgius Bernardus Bylſfingerus [1] aliique Wolfiani.

Majori adhuc ſtudio ac diligentia *copulationem*, & *commercium*, ut ita dicam, *corporis & animi* inveſtigarunt Philoſophi noſtra memoria, ac parentum. Nam præter Scholaſticos; qui ſyſtema *influxus* multo ante excogitarant, [2] duo nova ſyſtemata cogitata & inventa fuere. 1. *Adſiſtentiæ*, vel etiam *cauſſarum occaſionalium*: [3] quorum pri-

 mum

[1] *In* Dilucidat. Philoſ. §.302.

[2] *Syſtema* influxus Phyſici *in præſentia multi Philoſophi graviſſimi defendunt, etiam inter Germanos, contra* Wolfium, *& Leibnizium: veluti Gottſched.* Vindiciæ ſyſtem. influxus Phyſ. Lipſiæ 1727. *Hollmannus* Diſſert.2. de Harmon. præſtabilita: *Ruardus Andala* de Union. Ment. & Corp. Phyſica, *Langius, & alii.*

[3] *Syſtema* adſiſtentiæ *in hoc convenit cum ſyſte-*

mum Carteſius, alterum Carteſiani primores, ut La Forge, Cordemæus, Malebranchius, Sylvanus Regiſius, ceterique propoſuerunt. [1] 2. *Harmonia præſtabilita*, quod ſyſtema Leibnizius primus cogitavit, ceteri vero, ut Wolfius, Hanſchius, Reinbeckius, Schreiberus, Bylfingerus, Billebius, Schloſ-

---

ſtemate cauſſarum occaſionalium, *quod utrumque tamquam certum ponat, nec animum aliquid facere in corpore, nec contra corpus in animo, aut ullum alterius in alterum influxum phyſicum eſſe. In hoc differt, quod in primo hominis animus etiamſi non poſſit motum producere in corpore, tamen motus a Deo producti mutandi poteſtatem habeat, lineamque pro lubitu alio & alio flectere poſſit. In altero animus nihil omnino facit in corpore, vel e contrario: ſed Deus ſecundum leges a ſe latas, occaſione volitionum animi, hunc vel illum motum in corpore facit: occaſione vero motuum, qui in corpore ab ipſo Deo excitantur, efficit animi ſenſus, perceptioneſque. In hanc opinionem iverunt Carteſiani aliqui, ut occurrerent argumentis, quæ Carteſii ſyſtema labefactare videbantur.*

[1] *Petrus Aliacenſis cardinalis, qui anno* 1425. *obiit*, L.4. Sententiar. *in Repertorio ſuo generali, ſaltim veluti probabilem ponit ſententiam* cauſſarum occaſionalium. *Quod idem putat Gabriel Biel e Societate Clericorum Vitæ Communis, in Academia Tubingenſi Theologus, qui ceſſit e vita anno* 1495. *Quod eorum cauſſa dictum eſto, qui propter ejuſmodi opinionem Malebranchium, ceteroſque* Occaſionaliſtas *in invidiam vocant. Videſis Chriſtophor. Scheiblerum* Metaph. L.II. cap.2. tit.19.

Schloſſerus, aliique fuſius, accuratiuſque expoſuerunt. Quæ duo ſyſtemata eo conſilio condita fuere a philoſophis Recentioribus, ut ea, quæ in hac [corporis, & animi] viciſſitudine dandi, accipiendique obſervantur, phænomena ſi non vere, ſaltim ingenioſe, & non incommode explanarentur. Effecerint, an non, noſtrum non eſt hoc loco judicare. Illud extra controverſiam poſitum videtur, nihil ultra inveniri poſſe, quod non ab iſtis Philoſophis pro ejuſmodi opinionibus aut defendendis, aut profligandis fuerit excogitatum. [1]

Cauſſarum Occaſionalium ſyſtema confutarunt illi, qui contra Carteſianos præſertim contra Malebranchium, qui hoc ſyſtema perpolivit & illuſtravit, ſcripta ediderunt: quos inter referuntur Fr. Lamius, Sylvanus Regiſius, Stair, Leibnizius, aliique: quibus tamen adſeclæ Malebranchii aliquid reſpondendum putarunt. [2] B 4 Har-

[1] *Leibnizius quadam epiſtola ad Pfaffium data* [*vide* Acta Erudit. Lipſiæ 1728. *pag.* 125.] *ait, ſe* harmoniam præſtabilitam *veluti fabulam philoſophicam jocandi cauſſa excogitaſſe. Verum tam ſerio, tamque vehementer poſtea pro ea pugnavit, ut ſuſpicionem ingerat lectori eum ex animi ſententia id judicaſſe, & ſaltim, ex conſuetudine eam legendi & tractandi, nubem pro Junone accepiſſe.*

[2] *Eorum, qui, pro* cauſſis occaſionalibus *ſteterunt, nemo, mea ſententia, tolerabiliorem explicationem adduxit, quam Cl. Sturmius* Phyſ. Tom. I. c. 4. Ἐπίκρισις ἐκλεκτική 4. in Hypoth. 2. pag. m. 165. ſeqq. *quæ non difficulter ad bonum ſenſum revocari poteſt: ſaltim oſtendit, multum hoc loco de nomine diſputari.*

Harmoniam præſtabilitam, tamquam opinionem paradoxam, multo plures Philoſophi inſectati ſunt, ut Foucherius, P. Bayle, Tourneminius, Franciſcus Lamius, Clarckius, Sthalius, aliique: quibus ipſemet Leibnizius ſeorſum reſpondit: ſed multo diligentius, largiuſque Bylfingerus, [1] qui omnia, quæ contra objici poſſent, accurate expoſuit, &, ut ſibi videtur, refutavit. [2]

Multum itidem *de origine animæ* [3] diſputatum eſt a Recentioribus philoſophis, qui controverſiam pæne ſopitam ſubtiliter diſquirendo iterum in ſcenam revocarunt. Et ſane fuit olim hæc apud Antiquos philoſophos nobilis controverſia, quæ acutio-

[1] De Harmonia animi, & corporis humani ex mente Leibnizii. Lipſiæ 1723. 8.

[2] *Vide Ludovicium in* Hiſtor. Philoſ. Leibnizianæ, *itemque in* Hiſtor. Philoſ. Wolfianæ, *qui libros omnes percenſet*.

[3] *Opiniones de origine animæ & apud veteres Ethnicos, & Judæos, immo & apud Chriſtianos variæ fuere*: „ *Super animæ ſtatu*, inquit Hieronymus, *memini veſtræ quæſtiunculæ, immo maximæ Eccleſiaſticæ quæſtionis: utrum lapſa de cælo ſit, ut Pythagoras philoſophus, omneſque Platonici, & Origines putant; an a propria Dei ſubſtantia, ut Stoici, Manichæus, & Hiſpana Priſcilliani hæreſis ſuſpicantur; an in theſauro habeantur Dei olim conditæ, ut quidam Eccleſiaſtici ſtulta perſuaſione confidunt; an quotidie a Deo fiant, & mittantur in corpora, ſecundum illud, quod in Evangelio ſcriptum eſt*: Pater „ meus

tiorum quorumque ingenia fatigavit. Quidam e materia educi animum putabant. Alii a parente cum ſemine in corpuſculum prolis traduci judicarunt; quod noſtra ætate ante alios Sennerti ſchola tueri adorta eſt. Alii a Deo creari, & in corpora, cum primum generantur, infundi animos defen-

---

„ meus uſque modo operatur, & ego operor; *an* „ *certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris,* „ *& maxima pars Occidentalium autumant; ut* „ *quomodo corpus ex corpore, ſic anima naſcatur* „ *ex anima, & ſimili cum brutis animantibus con-* „ *ditione ſubſiſtat.* „ Epiſt. ad Marcellinum, & Anapſychiam, Oper.Tom.IIII. part.2. p.642. edit. Martian. *Varias etiam ſententias perſequitur Auguſtinus* de Libero arbitr. L.III. c.21. *Judæos autem vel omnes, vel fere omnes exiſtimaſſe animas ante corpora extitiſſe, ait Menaſſeh Ben Iſrael de* Creat. L.I. probl.15. p.61. *Id certum eſt, PP. uſque ad VIIII. a Chriſto ſæculum, & eo amplius, dubiam viſam eſſe ſententiam de animarum origine, ut legi poteſt apud Cl. Noriſium cardinalem in* Vindiciis Auguſtinianis c.4. §.3. *& Natalem Alexand. in* Hiſt. Eccleſ. Sæculi V. cap.4. §.9. *Habemus a concilio Lateranenſi IIII. anno* cIↃ ccxv. *cap. de* Fide Cathol. *decretum hoc*: „ *Deus ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio* „ *temporis utramque de nihilo condidit creaturam,* „ *ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet* „ *& Mundanam: ac deinde humanam quaſi com-* „ *munem ex ſpiritu & corpore conſtitutam.* „ *Itaque Theologi ſecundum P. Lombardum piam ſententiam, nempe animas tunc creari cum corporibus infunduntur, defendere ſolent.*

ſendebant. Poſtremo alii e cælo, vel aſtris, vel neſcio quo loco induci in corpora humana animum exiſtimabant, tametſi non omnes eodem modo: ut Morus, Leibnizius, Planerus. Ex quo *Traductianorum*, *Creatianorum*, *Inducianorum* ſectæ ſuperiori ſæculo rurſum auditæ fuere, quæ turbas nimis multas in ſcholas induxerunt.

Atque hæc, Adoleſcentes, de Metaphyſicæ hiſtoria veſtri gratia dicta ſunto. Superſedeo reliquis decertationibus minoris momenti, quæ ab non nullis Metaphyſicis inſtitutæ ſunt, propterea quod ad alias diſciplinas ſpectare jure optimo videantur. Hæc ſatis planum faciunt, quam claro lumine Recentiores noſtri diſputationes illas veteres colluſtrarint: quantumque addiderint, ut diſciplina ipſa nugis liberata perfectionem quamdam, & veluti maturitatem adipiſceretur: & uſui eſſet tum diſciplinis reliquis facilius addiſcendis, tum propulſandis hoſtibus religionis noſtræ.

ALOY-

ALOYSII ANTONII VERNEII

EQUITIS TORQUATI, ARCHIDIACONI EBORENSIS

D E

RE METAPHYSICA

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBER SECUNDUS

IN QUO

DE NATURA ET USU ONTOLOGIAE DISPUTATUR

CAPUT I.

Oſtenditur quid ſit Ontologia, & quo modo ſit nata.

HOMINIS mens, quæ & miſeria ſuâ imbecilla eſt & tarda, & vitio voluntatis, ac ſenſuum tardior efficitur ad verum inveſtigandum, uno adjumento expedita redditur ad id conſequendum, nempe præceptis Logicæ diſciplinæ: quæ & cauſſas erroris minutatim perſequitur; & viam ſternit, qua ex tanta errorum mole, quibus undique obruimur, emergamus; veritatemque ipſam nudis oculis, id eſt, quam

quam minimo errandi periculo, contemplemur. Quod ipſum in Logica noſtra copioſe expoſuimus. Et certe non alia medicina animi tarditati & infirmitati brevius, efficaciuſque, quam Logica, medetur: quam ſi quis penitus cognoverit, in eaque valde exercitatus fuerit, non is ad veritatem explorandam, aliiſque exponendam, qui finis ultimus germani Logici eſt, validiori auxilio opus habebit.

Unum illud ſupereſt, ut Logicæ præcepta ad ſingula argumenta recte applicemus: quod ipſum eſt in unaquaque re eſſe Logicum. Id vero ad ſingulas ſcientias pertinere evidens eſt: quarum eſt Logicæ artis præſidio verum, vel certum, vel probabile intra ſuos quæque terminos, inveſtigare. [1] Sed

---

[1] *E.g.* 1. Phyſica *ex regulis Logicæ phænomena omnia accuratiſſime inveſtigat, & comparat inter ſe. Ex phænomenis cauſſas ſecundum leges* probabilitatis, *id que analogiæ ope, explorat.*

2. Medicina *itidem, analogia duce, ex Logicæ præſcripto morborum naturam probabiliter cognoſcit: &, qua medicina ſanari poſſint, probabili ratione declarat.*

3. Ethica *ſtricte accepta naturam hominis moralem, id eſt, naturam corporis, & mentis quatenus ad mores referuntur, explorat: varioſque animi morbos iiſdem legibus odoratur: tum ex* certitudinis *legibus eorum medicinam proponit, nempe ſummam felicitatem ac bonum, cujus effectus demonſtrat, item que viam ad id perveniendi.*

4. Juriſprudentia Naturalis, *altera pars Ethices*

Sed cum homines non modo diſciplinæ rudes, verum etiam litteris exculti, alia & alia de cauſſa præcipitanter judicantes, ad præcepta Logices in ſingulis uniuſcujuſque diſciplinæ partibus exponendis

---

ces, ex ipſa humana ratione, ſecundum regulas demonſtrationis, *leges juſti, & honeſti deducit: atque de officiis hominum, quæ ex iis proficiſcuntur, præcipit.*

5. Prudentia Civilis, *tertia Ethices pars, quæ Politicam itidem comprehendit, & quæ prudentiæ regulas exponit; & ipſa legibus* demonſtrandi *utitur interdum, ut ex ſuis principiis concluſiones germanas cogat: interdum legibus* probabilitatis, *quarum ope examinat, an hoc, vel illo caſu leges habeant locum, an aliter.*

6. Juriſprudentia Civilis, & Pontificia *ex præceptis* Hermeneutices *vim Legum explanat: tum doctrinam* probabilitatis *adhibens, probabiliter cognoſcit, an ſingulæ res, quæ accidunt, ſub hac vel illa lege contineantur; id eſt, ex ea finiri ac judicari poſſint.*

7. Theologia Naturalis *ex legibus* demonſtrationum, *quæ in Logica traduntur, exſiſtentiam unius Dei, ejuſque proprietates demonſtrat.*

8. Theologia Revelata *legibus illis utens, quæ de* evidentia morali *tractant, primum oſtendit, ſcripturam Sacram a Deo traditam fuiſſe. Tum certo demonſtrat, eodem ſenſu accipiendam, quo Catholica eccleſia accipit. Poſtremo ex rebus revelatis quædam certo, quædam probabiliter, quæ magis neceſſaria videantur, deducit. Utitur etiam regulis* Her-

dis cogitationes ſuas exigere haud raro omittant; quibuſdam illi præſidiis ante muniendi videntur, quam in ſingulas ſcientias & artes ſe inmergant: quo facilius illa judicandi præcepta, quæ in Logicis generatim didicerunt, ad unaquæque argumenta aptare poſſint: ſeu, quod idem eſt, de ſingulis argumentis recte dijudicare. De his vero hoc libro eſt conſiderandum.

Jam vero præcipua lex inveſtigandi verum in ſingulis diſciplinis eſt, *argumentum ſuum ita accurate, atque omni ex parte conſiderare, ut unaquæque ejuſdem proprietates cognitæ ſint*: nam quo plures proprietates, quoque diſtinctius eas cognoſcimus, eo magis ad naturæ clariorem cognitionem accedimus. [1]

Porro autem proprietates uniuſcujuſque rei vel communes cum reliquis ſunt, vel ſingularum rerum peculiares. Quare ut recto ordine in tradendis diſciplinis progrediamur, oportet ut, quæ com-

Hermeneutices *ad exponendum ſenſum locorum utriuſque Teſtamenti, & Conciliorum, & Veterum epiſcoporum. Adeo nulla diſciplina eſt, quæ regulas Logicæ non adhibeat ad verum inveniendum. Conſule quæ diximus in* Apparatu noſtro Part.I. L.2. cap.3.

[1] *Rei uniuſcujuſque naturam non niſi ex proprietatibus & modis cognitis venari nos poſſe, perſpicuum eſt. De hac vero re egimus in* Logica L.II. p.1. c.10. & 11. §.1. *ubi de* idea ſubſtantiarum: & L.IIII. part.2. cap.1. & *ſæpe alibi. Itaque hæc lex & in re Phyſica, & Morali locum ſibi facit; immo vero in omnibus omnino diſciplinis.*

communes proprietates ſunt, prius exponantur: cum quod magis conſpicuæ ſunt; tum quod ex iis ad ſingularum proprietatum cognitionem facilius argumentando devenimus; tum demum quia ſine ullo negotio eæ ante explorari & intelligi poſſunt.

Quæ vero ſunt communia diſciplinis omnibus, vel ſunt *principia aliqua*, id eſt axiomata generalia, quas *primas veritates* nuncupamus; vel *vocabula*, quibus ea exprimi ſolent. Utræque igitur ante cognoſci debent, quam diſciplinæ ſingulæ exponantur.

Porro hæ duæ res diſciplinam quamdam faciunt, quam, ſi reſpicimus argumentum, *Ontologiam*, ſeu *Ontoſophiam* vocamus; ſin uſum reſpicimus, *Primam philoſophiam*. Cum enim ejuſmodi diſciplinæ argumentum ſit, de proprietatibus *Entis* generatim diſputare, vocatur *Ontologia*, quaſi dicas, *ſcientia de Ente*: ὂν enim Græcis idem ſonat, quod Latinis philoſophis *Ens*. [1] Cum vero tales notitiæ uſui ſint in ſingulis diſciplinis, atque ante eas cognoſci debeant, ea de cauſſa non nullis *Prima philoſophia* nominantur.

Ca-

[1] *Ut ab* ὄντος *&* λόγος Ontologia, *ſeu* ſermo de ente, *ita ab* ὄντος *&* σόφος Ontoſophia, *id eſt* philoſophia entis, *vocabulum natum eſt*.

Caput II.

Docet cui uſui & utilitati ſit Ontologia.

Hinc perſpicuum eſt, *Ontologiam*, ſi ea recte & ex merito æſtimatur, nihil aliud eſſe, quam *præfationem* quamdam, & *prolegomena*, ut ita dicam, *ſcientiarum omnium*: propterea quia & axiomata communia ſuppeditat, & nomina generalia definit, quo facilius ſingula ad certas claſſes revocare, ſuis nominibus diſtinguere, ac ex principiis clariſſimis inluſtrare poſſimus: &, quod inde fit conſequens, res omnes plane ac diſtincte cognoſcere, de iiſque ordine ac ratione diſſerere.

Hæc ſi recte expenderitis, nullo labore intelligetis, quanto in ſingulis diſciplinis tradendis Ontologia uſui ſit: quantumque adjumenti tum ad recte diſſerendum, tum ad rem quamque aliis exponendam adferat ipſa. Quare cum Ontologia veluti fax quædam lumen faciat diſciplinis reliquis, illud liquido exſiſtit, nihil adoleſcentibus utilius eſſe Ontologia, ſi ea recte tradatur: nihil eadem pernicioſius, ſi abſtruſis, & inanibus controverſiis oneretur, ac perturbate exponatur. Ut enim corpora exilia affabre elaborata meridiano Soli expoſita tanta lucis copia perfunduntur, ut vel minores receſſus, & partes exiliſſimas diſtingui ſinant, ac pulcritudinem ſuam omnem intuentibus & inveſtigantibus oſtendant; eadem vero Lunæ ſplendori objecta, non modo minimas partes oculis eripiunt, ſed etiam elegantiam, immo & colorem deperdunt adeo, interdum ut informia quædam corpora & rudia videan-

deantur; ita diſciplinæ ſingulæ ſi ad germanæ Ontologiæ regulas expendantur, perſpicuæ ſunt, faciles, nulloque negotio intelligi poſſunt: ſin autem ad confuſam illam non nullorum Ontologiam referantur, tam obſcuræ evadunt, ut nihil aptius ad miſcendas veras & perſpicuas humanæ rationis, id eſt logicæ Naturalis, regulas inveniri poſſit.

Itaque boni Metaphyſici eſt ita Ontologiam tractare, ut ad finem, ad quem illa eſt inventa, compendiaria via adoleſcentes ducere poſſit. Quare ea tantum in Ontologia tradi debent, quæ, rebus ſine ullo præjudicio examinatis, ad id conſequendum quam maxime accommodata videantur. Neque vero id ſolum, ſed etiam quanta fieri poteſt claritate & brevitate eadem argumenta tractari debent.

Duo itaque in Ontologia omnino præſtanda ſunt: Alterum, nomina, quæ in uſu ſunt apud Philoſophos, quæque non unius, aut alterius ſcientiæ peculiares, ſed ad omnes pertinent, accurate explicare, eiſque certam & claram notionem ſubjungere, ut ex illis diſputantes confuſionem omnem vitemus, rem aperte intelligamus: id eſt, ſingulas objecti partes, ſeu proprietates ſeorſum & abſtracte conſideremus, [1] ideoque ſine ulla obſcuritate rem ipſam cognoſcamus: cujus defectu plerique omnes errores in ſingulis diſciplinis naſcuntur, ut

C in

[1] *Conſiderare ſingulatim proprietates illas, quæ reapſe conjunctæ ſunt, illud eſt, quod vocamus* abſtrahere unam ab alia: *& proprietas illa ſeorſum ſumta vocatur* abſtracta. *Conſule, quæ dicemus infra Libro IIII. cap.2. ubi de* Ente.

in Logica diſputavimus. [1] Alterum, axiomata quædam generalia, ſi qua ex illis duci poſſunt, tamquam certos canonas conſtituere, ut eorum adjumento in ſingulis argumentis alias & alias cognitiones veras & utiles elicere, falſas & inutiles controverſias vitare queamus. [2]

Caput III.

Demonſtratur Metaphyſicos Scholæ haud recte Ontologiam pertractaſſe.

HAEC quoniam Scholaſtici non animadverterunt, tam perturbate Ontologiam [3] tradiderunt, nihil ut obſcurius, & perturbatius cogitari poſſit: nihil ad verum Ontologiæ finem adipiſcendum inutilius, immo vero nihil pernicioſius.

Atque ego, Adoleſcentes humaniſſimi, me in invidioſo argumento vel invitum verſari ſentio: Quod ipſum etiamſi in libris meis non uno tantum loco ſtudioſe vitavi, ne viderer moroſis quibuſdam atque ineptiſſimis cenſoribus, quorum ſatis copioſus eſt numerus, Ariſtotelicos vellicare velle, eoſque dedita opera frequenter exagitare; tamen vel ipſe rerum ordo atque diſciplinæ facies me volentem nolentem impulit in hunc locum, ut de eorum Meta-

[1] *Libro II. part. 2. præſertim cap. 3.*

[2] *Nulli alteri uſui eſſe poſſe* Ontologiam *in tradendis diſciplinis, rem ſine ullo præjudicio conſideranti evidens eſt.*

[3] *Scholaſticorum Metaphyſica nihil erat aliud quam* Ontologia.

taphyſica tractandi ratione diſſererem: quamque bene, aut male de Ontologia mereantur, explicarem. Quid? ego in hac Europæ luce, in media Urbe ſcribens, ubi Pontificis Max. beneficio, ac omnium ordinum favore Eclectica philoſophia tanto cum plauſu exponitur, res omnes pro merito æſtimantur, nec jam Veterum philoſophorum ſenſa, ſed humanæ rationis præcepta, in iis, quæ naturæ vires non excedunt, expenduntur, ea ſola pro regula habentur; verear, quid de Ontologia ſuperiorum ſæculorum docti viri cenſeant, explicare? Quid? propter invidorum malivolentiam, & ſycophantarum ineptiſſimas reprehenſiones abſtineam ab iis exponendis, quæ vobis recte inſtituendis neceſſaria ſunt? Quod ſi id facerem, ſi tam levi de cauſſa officio deeſſem, tum ego indoctus plane, tum parvi animi, tum nullius conſilii eſſem.

Quamobrem ſciant obtrectatores iſti Recentiorum philoſophorum, me nulli eorum eſſe inimicum, nulli litem intentare, immo vero nullam talium vituperationum rationem habere. Quod ſi aliqui eorum ſe a nobis læſos, & male acceptos eſſe clamitant, ipſi ſponte ſe produnt, atque talium flagitiorum reos eſſe vel nullo accuſante declarant. Sed hæc hactenus.

Nos vero, Adoleſcentes ornatiſſimi, religioni ducimus ea tacere, quæ diſciplinæ, quam tradimus, inluſtrandæ, neceſſaria eſſe viri doctiſſimi & clariſſimi arbitrantur. Quare de Ontologia Scholaſticorum quædam ſine odio, & gratia, ut Hiſtoricum, ac Philoſophum decet, breviter explicabimus.

Igitur Scholaſtici philoſophi plurima in tra-

denda Ontologia peccarunt, quæ Ontologiam ipſam non modo inutilem, non odioſam, ſed ne intelligibilem quidem fecerunt. Quæ omnia ex male intellecta Ontologiæ natura vitia profecta ſunt. Nam nec Ariſtotelis mentem ſecuti ſunt, [1] nec naturæ rationem. Cum enim non animadverterent, ad quem finem Ontologia fuerit excogitata, cuique uſui ſit, quod ante monuimus; non eam ad reliquarum ſcientiarum utilitatem retulerunt; ſed in ea tamquam ſcopo conſtiterunt: atque hunc finem ſibi propoſuerunt, ſubtiliter, & ſine ullo fine diſputare; altercandoque oſtentare ſummum ingenii acumen. Hinc illa de *objecto communi & multiplici* copioſiſſima diſputatio: hinc perpetua contentio de *univerſalibus*, de *conceptu entis*, de *præciſionibus*, *& diſtinctionibus*, de *tranſcendentiis*, de *principio individuationis*, de *ente rationis*, de *negationibus*, de *regulis prædicamentalibus*, de *prædicamentis*, præſertim de *ſubſiſtentia*, & *relatione*; itemque de *poſſibilitate* plurimorum entium, & hujus generis alia obſcuriſſima, & intricatiſſima, quæ ego cum nec eſſem nimis tardus, nec in iis parum temporis & ſtudii conſumſiſſem, idque magno meo incommodo, non erubeſco profiteri, numquam intellexi: cumque a viris & bonis, & doctis requi-
ſive-

[1] *Superiori libro cap.* 1. *oſtendimus, Ariſtotelem in* Metaphyſicorum *libris propoſuiſſe ſibi* de ideis illis æternis, *ſeu* ſubſtantiis inmutabilibus Platonis *explicare*; *ex quibus tamquam idearum fonte cetera per varios* emanationis *gradus naſcantur*. *Quare ejus* Ontologia *cum* theologia Naturali *arctiſſime conjuncta erat*.

ſiverim, quid ipſi experti fuiſſent, nec eos aliquid plane intellexiſſe cognovi.

At intelligant: quid, quæſo, adferunt ſubſidii ejuſmodi diſputationes ad faciliorem reliquarum ſcientiarum intelligentiam? nullum profecto. E contrario duo hinc & graviſſima impedimenta naſcuntur, quæ ceterarum intelligentiam penitus retardant. Alterum, quod tempus omne conſumunt rebus & plane inutilibus, & quæ humana ratione expediri non poſſunt: ut ſunt, tot inter alia, *poſſibilitates* illæ innumerabilium rerum, de quibus tam fidenter dijudicant, quaſi ſuis oculis cernerent. Cum tamen perſpicuum ſit, nulla nos habere principia, ex quibus de rebus *poſſibilibus* vel adfirmare aliquid, vel negare poſſimus: ſi unum & item aliud, quod raro ſe offert, excipimus. Ex quo tanta confuſio exſiſtit idearum, ut miſeri adoleſcentes, qui talibus imbuuntur, vix umquam clare, & ex merito de rebus ullis judicare queant. Alterum, quod Ontologiam cum Phyſica, & Theologia tum Naturali, tum Revelata ita confundunt, ut, quid utraque ſit, internoſci nequeat. Nam multa de *continuo*, de *quantitate*, de *accidentibus*, de *qualitatibus*, de *motu*, de *vacuo*, aliiſque hujuſmodi ex Phyſica ſumunt: multa de *ſubſiſtentia*, de *relatione*, de *exſiſtentia definitiva* ex Theologia divinitus tradita, ſeu Revelata: non nulla ex theologia Naturali adhibent, ut cum quærunt, *an propoſitio* Deus eſt *ſit per ſe nota ſecundum ſe*, *an quoad nos*: quam quæſtionem ita cum aliis miſcent de *conceptu entis*, ut, quid utraque ſibi velit, nemo facile intelligat.

Et quamquam Ontologia, uti diximus, ea ſit, quæ ſingulas uniuſcujuſque rei proprietates clare, & ordine conſiderare docet, quo facilius & accuratius res ipſas examinare, de iiſque recte judicare poſſimus; tamen Metaphyſica illa Scholaſticorum, tantum abeſt hæc præſtet, ut omnia mirandum in modum confundat, eamdemque confuſionem in reliquas diſciplinas inducat. Et, quod miremini, ne ipſi quidem, quod ſibi in Metaphyſica ſua diſputandum propoſuerunt, plane intelligunt, nedum aliis exponere ſciunt.

Miratus ſum haud ita pridem oſcitantem ſapientiam cujuſdam Peripatetici bene noti, qui cum in proœmio Metaphyſicæ fateatur, *objectum adæquatum Metaphyſicæ eſſe ens reale*; tamen eodem loco declarat, diſputationes de *ente rationis* ad Metaphyſicam ſpectare, de quibus tamen ille in Logica ſua ſine ullo fine diſputat. [quod alii in Metaphyſica faciunt] Deinde cum ponat, *objectum adtributionis Metaphyſicæ eſſe Deum, ad quod objectum cognoſcendum referantur omnia, quæ in illa ſcientia tractantur*; ipſe tamen totam Metaphyſicam ſuam rebus abſtractis & ſubtilibus abſolvit: de *Dei exſiſtentia* vero non niſi capite prope ultimum differit, idque tam breviter, leviterque, ut maior pars capitis in locis Scripturæ, ac PP. percenſendis, & hujus generis aliis importunis, conſumatur: argumenta vero illa naturæ Phyſica, & Metaphyſica, quibus hæc veritas perſpicue ac firmiſſime contra Atheos demonſtratur, ſilentio prætereat, tantum quædam adferat inter vias. Poſtremo cum lectorem moneat, *Metaphyſicam præter ens reale, conſiderare etiam Deum, & Angelos*; de Angelis in Metaphyſica ſua

ſua ne verbum unum quidem facit. Ita occæcant mentem ſubtiles illæ diſputationes Metaphyſicæ, quibus hic auctor delectatur, ut ipſe, qui e ſuperiori loco docere alios ſibi proponit, quid ſibi velit, non animadvertat, nec, quod pollicitus eſt, præſtet. Quæ vero de uno dico, de omnibus dicta putatote, qui eadem chorda oberrant. Niſi quod aliqui *Univerſalia*, & *Prædicamenta* in Logica exponunt, alii in Metaphyſica, ſed eadem ratione omnes.

Poſſum, Adoleſcentes, vobis, adductis eorum locis, meridiana luce clarius demonſtrare, quam confuſas ideas Ontologiæ, atque adeo Metaphyſicæ habeant Scholaſtici etiam primi ordinis: ſed res adeo nota eſt, ut orationem noſtram non deſideret. Hoc breviter dico, tam vagam & incertam notionem huic vocabulo *Metaphyſicæ* ſupponi, ut alias & alias diſciplinas ſub ea appellatione tractare conſentaneum judicarint. Quidam, & is quidem doctiſſimus, & graviſſimus, tam late hoc vocabulum accepit, ut res longe diſſimiles eo inſignire non dubitarit. In quo, ut plerique docti judicarunt, tria ille admiſit grandia errata. Nam primum Phyſicam, & Ontologiam Peripateticam ſub nomine *Metaphyſicæ* exponit. Deinde tot addit de divinis proprietatibus, nempe de *inviſibilitate Dei*, *incomprehenſibilitate*, *infallibilitate*, *ſcientia*, *voluntate*, *libertate*, aliiſque ad theologiam Scholaſticam pertinentibus, ut ipſemet in præfatione errorem ſuum agnoſcere, & excuſationem aliquam parare ſibi ſtuduerit. Sed errorem errore auxit. Nam cum tam multa de rebus a Deo manifeſtatis dixerit, nihilominus contendit adhuc, *ſe luminis naturæ*, *atque adeo Metaphyſicæ limites* non exiiſ-

ſe. Poſtremo etſi fateatur, *Deum eſſe primum ac præcipuum Metaphyſicæ objectum; ſeque breviter complexurum omnia, quæ Naturalis theologia de Deo docet, abſtinendo ab his, quæ ſola revelatione habentur, aut haberi poſſint*; & re vera de primo motore æternum diſputet; tamen exſiſtentiam unius Dei contra Atheorum, & Polytheorum argumenta illa intricatiſſima, quod facere deberet, non probat.

Qualem, quæſo, ideam Ontologiæ, ſeu Metaphyſicæ habere putatis eum, qui Philoſophiam omnem & *Metaphyſicam* eſſe, & ita appellari debere cenſeat? qui cum eo libro declaret, ſe *XII. Metaphyſicorum* libros explanandos ſumſiſſe; tamen iis *VIII. Phyſicorum* alios prudens ac ſciens adjungat? qui fines humanæ rationis, ac divinæ revelationis non internoſcat? qui putet res divina declaratione cognitas ad Metaphyſicam revocari poſſe? Quod ſi *Metaphyſicam* ea de cauſſa inſcripſit, quod animadverterit Phyſicam omnem Scholaſticam abſtractis notionibus tantum contineri, deque iis Metaphyſicorum vulgarium more ſubtiliter diſputare; ne ſic quidem ulla ratione excuſari poteſt. Nam primum non animadvertit, quid apud Peripateticos ſuos ſignificet *Phyſica*: deinde partes Philoſophiæ omnes mirifice confudit. Eodem jure Logicam, eodem theologiam Scholaſticam *Metaphyſicam* inſcribere poſſet: quod in viro docto, & qui Philoſophus haberi amat, ferendum non eſt.

Sed nolo, Adoleſcentes moderatiſſimi, viros graviſſimos, & qui apud quoſdam veteri philoſophandi viæ addictos ſummo in pretio ſunt, riſui objicere, ſi omnia errata minutatim expoſuero, quæ in

in eorum libris ſe offerunt. Fateor hæc hominum vitia non eſſe, ſed ætatis, in qua non dum ſeverioribus diſciplinis maxime Philoſophiæ adfulſerat lux illa & pura, & copioſa, quæ poſtea eluxit. Unum doleo tanta ingenia, ut illa erant Scholaſticorum quorumdam, in tam leves, & obſcuras, & inutiles ſententias incidiſſe: quæ noſtra ætate veris Philoſophis, qui ea interdum conſiderant, riſum movere ſolent; delicatioribus vero ſtomachum, & contemptum: idque adeo, ut *Metaphyſici* nomen apud eos, quaſi obſcuri, & inepti Philoſophi nomen habeatur.

Hæc ſatis ſint, Adoleſcentes, ut intelligatis, Philoſophos illos, qui Ontologiam Scholæ ritu expoſuerunt, male de ea meritos haberi: cum quod eam ad finem ſuum non direxerunt; tum quod multa importuna, & vix intelligibilia adhibentes, Ontologiam inplicarunt potius, quam explicarunt: talemque reddiderunt, quæ nulli uſui ſit addiſcendis optimis diſciplinis.

CAPUT IIII.

Docet Philoſophos Recentiores Ontologiam accuratius expoſuiſſe, ſed alios alio modo.

QUAE cum cognoviſſent Recentiores philoſophi, atque ſibi propoſuiſſent, Ontologiam ad finem, ad quem illa fuit excogitata, referre conformareque; primum eam ab aliis diſputationibus, quæ ad ceteras ſcientias pertinent, ſeparaverunt, & quamdam diſciplinam ſeparatam conſtitue-

tuerunt. Deinde res omnes, quæ non modo reliquis diſciplinis non opitulantur, ſed nullo modo intelligi, nullaque ratione naturæ finiri poſſunt, removerunt: quod hominis, qui modo ſanus ſit, eſſe non putarunt ea ignorare, quæ facta ſunt; de rebus vero, quæ fieri poſſunt, vel non poſſunt, eſſe ſollicitum. Poſtremo ea, quæ reliqua fuerunt, & non nihil utilitatis habere cognoverunt, ita tractarunt, ut & clare, & breviter, & ordine quam aptiſſimo exponerentur.

Hæc vero non uno eodemque tempore philoſophi Recentiores præſtiterunt: ſed ex infimo ſtatu, ut ſunt res humanæ omnes, veluti per gradus ad ſuum faſtigium Ontologia pervenit, quod ſupra demonſtravimus. [1] Nam tametſi primi illi Inſtauratores Philoſophiæ ſuperiori ſæculo vulnera multa Ontologiæ ſanarunt; ea tamen reliquerunt, quæ ſatis eſſent, ut univerſum Ontologiæ corpus quaſi tabe quadam contaminaretur. Quare non niſi ſæculo noſtro, idque poſt multum laborem, & meditationem, Ontologia vero colori, & ſanitati reſtituta eſt; medicinam, ut ita dicam, parantibus, in Anglia Joanne Lockio, in Germania Chriſtiano Thomaſio: qui duo Philoſophi Metaphyſicos ab illo veterno excitarunt, in quo tot ſæcula, ne dum tot annos, etiam viri cetera docti, & oculati, jacuerunt.

Sed quoniam de his auctoribus diximus in Logica, quæ neceſſaria videbantur ut de eorum philoſophandi ratione, de virtutibus, de erratis judicare poſſemus; ea tantum addemus in præſentia, quæ ſatis

[1] *L. I. cap. 3. & 4.*

ſatis ſint ut aperte intelligatis, quidnam illi in tradenda Ontologia maxime peccarunt.

Porro ex dictis ſuperiore libro [1] manifeſtum eſt, pleroſque omnes Philoſophos, qui proximo ſæculo ſcriptis ejuſmodi nobilitati ſunt, duo in Metaphyſica tradenda errata admiſiſſe: Alterum; quod de retinendo vocabulo *Metaphyſica* nimis ſolliciti, multum temporis, & laboris conſumſere diſputantes, an nomini *Metaphyſica* aliæ & aliæ partes Philoſophiæ ſubjici poſſint. Ex quo illa varietas opinionum, de qua loco laudato diſſeruimus: aientibus aliis, Metaphyſicam comprehendere, præter *Ontologiam*, étiam *Pſychologiam*, & *Theologiam Naturalem*; aliis *Metaphyſicam* eſſe partem *Phyſicæ*, aliis partem *Logicæ*, aliis aliud omnino, uti alio loco diximus. Quaſi vero ſingulæ Philoſophiæ partes non ſuis nominibus diſtingui, & ad ſuas claſſes commode referri poſſint.

Alterum eſt, quod nimis multam operam & ſtudium poſuere in finiendis aliquibus controverſiis, quas ſi libero judicio examinamus, nihil diſputationis habere plane deprehendemus. Quibus vitiis Recentiores etiam acerrimi ingenii, & magni nominis infuſcantur: quorum animis neſcio quæ prava conſuetudo religionem injecit, ut aliquid ſubtilitatis retinerent in Ontologia, quo facilius Scholaſticorum ſermonem noſcere poſſent. Quaſi ex multitudinis judicio, non vero ex graviſſimorum hominum ſententia, judicanda ſint hæc. Et hæc primi.

At non nulli Philoſophi hac noſtra ætate de nomine *Metaphyſicæ* non laborantes, quod infinitæ con-

[1] c.3.

contentionis erat materia, diverſas ejuſdem diſciplinæ partes fecerunt, quas certis nominibus ſignificarunt. Velut Wolfius, & ejus adſeclæ aliqui, qui *Ontologiam* a reliquis partibus ſeorſum diſputaverunt.

Hi vero in contrarium vitium, ut mihi videntur quidem, incurrentes, dum vetera delere curant, tot alia addiderunt, ut haud ſciam an impliciatiorem eam diſciplinam fecerint. Nam primum Ontologiam ipſam tam ſtrictæ methodo Mathematicæ ſuppoſuerunt, ut nihil ſupra: ex quo in demonſtrandis rebus minutis, & plane perſpicuis, & de quibus nemo, niſi ineptus, dubitet, præter modum occupatos fuiſſe neceſſe fuit: exiſtimantes non niſi hac ratione res ordine *ſynthetico* demonſtrari poſſe, quod omnino eſt falſum. [1]

Deinde, quod conſequens fuit, inutilia plurima, demonſtrationum inluſtrandarum gratia, addiderunt, quæ mentem hebetant potius, quam acuunt, expeditamque reddunt. Ut illud mittam, eorum quoſdam in recenſendis Veterum, & Recentiorum placitis, in diſputandis Phyſicis controverſiis a propoſi-

[1] *Si ſingulas argumenti partes ita diſpoſuerimus, ut ea prius exponantur, quæ faciliora ſunt; ex his reliqua deducantur, ita ut priora poſterioribus lucem faciant, quantum per argumenti naturam licet; ſynthetico ordine philoſophabimur, quin mentem oneremus apparatu illo* definitionum, axiomatum, theorematum, demonſtrationum, lematum, *& ejus generis alia, quæ cum ad certa argumenta, veluti* Ontologiam, *applicantur, tantum abeſt mentem inluſtrent, ut impediant potius, & confuſionem pariant.*

poſito alienis, verbo dicam, in oſtentanda eruditione minime neceſſaria nimios extitiſſe: quod an bonæ methodi legibus conſentaneum ſit, viderint ipſi: ſaltim methodum illam Mathematicam, quam retinent, parum aut nihil argumento luminis adferre, clare demonſtrant.

Tum eam ultra meritum extulerunt: ut qui eorum labores, qui volumina, qui elogia illa ampliſſima, quæ plenis manibus fundunt, recte perpenderit, plane intelligat, eos, qui talibus delectantur, haud recte de Metaphyſica ſeu *Ontologia* judicare poſſe.

Poſtremo ſibi ipſi non conſtant. Nam cum ponant, Metaphyſicam eſſe diſciplinam, *quæ notiones communes, quæ ad ſingula pertinent, diſtincte explicat*; tamen præter *Ontologiam*, de qua id vere dici poſſet, *Metaphyſica* nomini ſubjiciunt *Coſmologiam*, ſeu diſputationem de Mundo, quæ prior pars Phyſicæ eſt: & *Pſychologiam*, ſeu de Anima, quæ itidem pars eſt Phyſicæ: & *Theologiam Naturalem*, ſeu de Deo, quæ etiam Phyſica eſt, vel potius prima Theologiæ pars. Non quod ego bellum nominibus movere velim, ſed quod omnino rationi conſentaneum videbatur, ut vel nomine *Metaphyſica* ſublato, diſciplinas ſingulas ſeorſum pertractarent; vel eo retento, ea, quæ Phyſicæ partes ſunt, ad ſcientiam *univerſalium* non revocarent: hoc magis quod iidem fatentur, *Ontologiam* principia ſuppeditare, ex quibus *Coſmologia*, *Pſychologia*, & *Naturalis Theologia*, non ſecus ac ceteræ diſciplinæ, inluſtrantur.

Facile ut dicere poſſimus, ex ſingulis auctoribus, qui de hac diſciplina accuratius ſcripſere, utilia multa, & commode dicta ſumi poſſe: neutrum tamen

men nos vidiſſe, quod pace tantorum virorum dictum ſit, qui modum teneret, quique Ontologiam ex omni parte perfectam ederet. [1] Ca-

[1] *Non eſt neceſſe eos confutare, qui Ontologiam quaſi omnino inutilem judicantes, in contrarium cucurrerunt: veluti recentiſſimum illum Metaphyſicum, de quo libro ſuperiori commemoravimus: recte enim, an ſecus judicet, ejus Metaphyſica declarat. Nam tametſi ponit veluti certum, nomina, de quibus Ontologia diſputat, ita clara eſſe, ut vel ruſtici ea intelligant; ipſe tamen, quod* Metaphyſicam *non definiat, modo eam quadam acceptione uſurpat, &* ſcientiam ſcientiarum *vocat; modo alia acceptione, & continet* Phyſicam. *Qui conſultius faceret, ſi nobis explicaret, quid ſit* ſcientia ſcientiarum, *quid* Metaphyſica, *cur* Phyſicam *complecti debeat, cetera, quæ adfert. Præterea, quod nomina, quæ alii aliter accipiunt, & ex quorum definitione controverſiæ plurimæ naſcuntur, nuſquam definiat; quod nova nomina, & inſolita ſignificatione inducat, ita confuſe diſputat, ut, quid ipſe ſibi velit, nemo facile intelligat: adeo ut, quo ſe a cenſura liberarit, alias, & alias explicationes ſubnectere conſentaneum judicarit. Immo, quod vix credi poteſt, cum inpios Philoſophos, quorum errores non niſi in varia acceptione verborum conſiſtunt, confutare ſibi ſumat, tamen definitiones nominum nuſquam adhibet, ſed quaſi exploratas ponit. Quæ tamen ſi accurate definiret, quot paralogiſmos adferat, quam multis, quæ intelligi omnino nequeunt, veluti plane ſibi cognitis occupetur, facile animadverteret. Sed hæc tironum gratia monere ſatis*

Caput V.
Quo modo Ontologia ſit pertractanda demonſtrat.

EGO vero mihi perſuadeo, Ontologiam utilitate non carere: minoris tamen eſſe utilitatis, ſaltim non tam eſſe neceſſariam, quam vulgo habetur. [1] Itaque ut de Ontologia recte judicemus, viamque de ea diſputandi penitus cognoſcamus, ipſum diſciplinæ finem perpendamus oportet.

Cum autem Ontologia [ut ſæpe jam diximus, ſæpiſſime monere non erubeſcimus, immo vero innumerabilium præjudiciorum depellendorum cauſſa id inculcare Adoleſcentibus neceſſarium arbitramur] ad hoc fuerit excogitata, ut principia ſcientiarum omnium prius ponamus, & explicemus, quo facilius in ſingulis diſciplinis verum inveniamus, aliiſque commode & ordine explicemus; relinquitur ea tantum in Ontologia tradi opor-

---

ſatis fuerit: nemo enim ſtudiis contritus, & qui de his judicare poteſt, novam hanc philoſophandi rationem, opinor, probabit.

[1] *Veritas hujus propoſitionis ex iis, quæ de Ontologia Libro IIII. dicemus, perſpicue conſtabit. Nam ſi ea, quæ in Logica docuimus de* ideis claris, *&* diſtinctis, *de* uſu vocum in Philoſophia, *tum etiam de* modo inveſtigandi veritatem *memoria teneamus, & pro re nata ad ſingula argumenta accommodare ſciamus; omni* Ontologia *carere ſine ullo damno poterimus: quæ nihil aliud eſt, quam applicatio legum Logicæ ad quædam argumenta generalia.*

oportere, quæ ad id conducant: ea reſecari, quæ ad reliquas ſcientias facilius addiſcendas importuna ſunt. *Scientias* cum dico, non ex uſu ſemidoctorum loquor, qui ea pro partibus ſcientiarum habent, quæ ſcientiæ non ſunt; veluti quæſtiones illas Metaphyſicas minime neceſſarias, quibus Theologia illa Peripatetica inquinatur: ſed germanas ſcientias dico, quæ ex principiis veris, aut veriſimilibus veritatem vel certam, vel probabilem inveſtigant, ut alio loco expoſuimus.

Porro cum principia Ontologiæ tamquam certum ponant, verum inveniri poſſe quod vel negant, vel dubitant aliqui; illud primum examinandum eſt, an verum aliquod a nobis cognoſci poſſit, & quale. Deinde, qui ſint characteres propoſitionum illarum, quas pro primis veritatibus habendas eſſe contendimus.

Itaque duplex Ontologiæ pars illico oculis occurrit: Altera, *quæ de modo cognoſcendi primas veritates explicat generatim*. Altera, *quæ generales illas propoſitiones, ſeu primas veritates perſequitur, quæ ad omnes diſciplinas pertinent*. His enim duobus abſolvitur quidquid ad facilem diſciplinarum intelligentiam aliquid commodi adferre poteſt. [1] Quæ quoniam ex iis, quæ paullo poſt dicemus, clariorem lucem accipient, de iis hoc loco amplius diſputare neceſſarium non eſt.

Quare commode loquuntur illi, qui ſentiunt cum Buddeo, Ontologiam eſſe *Lexicon* quoddam generale Philoſophicum, ex quo in ſingulis diſciplinis facilius, & ſine ulla ambiguitate philoſophamur. Nam

[1] *Repete, quæ diximus hujus libri capite 2.*

Nam maior pars Ontologiæ, nempe ſolida ſecunda, in explicatione vocabulorum generalium verſatur. *Lexicon* cum dico, non merum *Lexicon* dicere volo, qui liber vocum ſignificationem tantum adducat; ſed qui exponat, qui rationem reddat, & qui regulas aliquot præſcribat ad bene utendum dictis nominibus. Quo ſane ſenſu non inepte dicunt aliqui, Ontologiam eſſe veluti *Appendiculam Logicæ*, propterea quod, ut diximus ſupra, modum præſcribit, quo regulæ Logices planius ad ſingulas diſciplinas accommodari poſſint. Quamquam alio nomine *prolegomena ſcientiarum omnium* appellari poſſit, ut ſupra expoſuimus. [1] D ALOY-

[1] *Ex dictis toto hoc capite plane infertur*, Ontologiam, *præſertim ejus partem ſecundam*, *puerorum tantum gratia ſcribi oportere* [*adde etiam eorum*, *qui non melius*, *quam pueri*, *judicant*] *quo facilius* nomina definire, *ex iis* conſectaria deducere, *tum demum* ab inutilibus diſputationibus abſtinere *queant*: *id eſt*, *quo facilius regulas Logicæ*, *antequam in diſciplinas graviores ſe inmergant*, *ad omne genus argumentorum flectere & aptare queant*, *& aliquas notiones utiliores adquirere*. *Quæ etſi initio ſingularum diſputationum commode adferri poſſent*, *tamen cum ejuſmodi nomina identidem in diſciplinis occurrant*, *non incommode prius explicantur*. *Quod ſi qui eſſent*, *qui ſingula ad regulas bonæ Logicæ recte exigere poſſent*, *ut plerique viri celeberrimi noſtra memoria*, *qui Metaphyſicam vel non adtigerant*, *vel obliti erant*, *naturæ lumine tum in Mathematicis*, *tum in ceteris diſciplinis magno cum rei litterariæ fructu fecerunt*, *ii omni* Ontologia *ſuperſedere facile poſſent*.

Digitized by Google

ALOYSII ANTONII VERNEII

EQUITIS TORQUATI, ARCHIDIACONI EBORENSIS

DE
RE METAPHYSICA
AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBER TERTIUS

IN QUO

DE PRIMA ONTOLOGIAE PARTE, SEU DE MODO COGNOSCENDI PRIMAS VERITATES AGITUR.

CAPUT I.

Quid ſint primæ veritates *demonſtratur*.

SED de prima Ontologiæ parte videndum nunc eſt. Quid ſit *veritas Logica*, diximus in Logica: nunc, quid ſint *primæ veritates* omnium cognitionum, dicendum eſſe videtur.

Nomine *primarum veritatum* ſignificant Recentiores philoſophi, *propoſitiones aliquas ita perſpicuas, ut per alias clariores probari non poſſint*,

nec confutari. Quare ſi qua propoſitio, tametſi perſpicua, occurrat, quæ ex alia clariori inluſtrari poſſit, aut refutari, vel hoc ſolo nomine ex cenſu *primarum veritatum* delenda eſt. Hæc definitio adeo eſt clara, ut ineptus ſit, qui eam longo ſermone exponere conetur: ineptior, qui id flagitet.

Hinc tres ſunt charaĉteres primarum veritatum. 1. *Quod ſint adeo claræ, ut clariores nullæ occurrant, aut certiores, quibus exponi poſſint.* 2. *Quod tanta conſenſione, & firmitate ab omnibus admittantur, ut nulli, aut fere nulli ſint, habita ratione generis humani, qui eas reſpuant.* 3. *Quod ita alte in animo noſtro defixæ ſint, ut nullis cavillationibus adverſariorum, nullis laqueis deleri poſſint; immo vero ex eorum præſcripto vitam ſuam omnes inſtituant.* Nam, quæ hæc tria habent, merito pro primis veritatibus habentur.

Porro ſingulæ diſciplinæ ſuas habent primas veritates, ex quibus ceteræ, de quibus diſciplina diſputat, proficiſcuntur. Sed hæ ita uniuſcujuſque diſciplinæ propriæ ſunt, ut nullo modo ad alias trahi poſſint. Nempe primæ veritates Phyſicæ ita ejus propriæ ſunt, ut ex iis Theologia, aut Ethica ſtricte accepta diſputare non poſſit. Ideoque hujuſmodi veritates, ſeu principia intra limites unius tantum diſciplinæ conſiſtunt. Ontologia vero de iis diſputat primis veritatibus, quæ ad omnes ſcientias pertinent, & ex quibus, ceu fonte uberrimo, ceteræ veritates in ſingulis diſciplinis derivari poſſunt, & inluſtrari.

C A-

CAPUT II.

Docet primas veritates cognoſci poſſe intimo ſenſu.

JAM vero aliquas veritates certo cognoſci poſſe, in Logica noſtra [1] monuimus contra Scepticos: ubi etiam explicavimus, *criterium veritatis* partim in ſenſibus, partim in mente poni debere: [2] atque de modo veritatem & ſenſibus, & ratione inveſtigandi diſſeruimus. [3] Verum eo loco rem quaſi nemini ſanæ mentis dubiam, ut reapſe eſt, magis poſuimus, quam argumentis confecimus: propterea quod longior diſputatio inopportuna eſſet ei, qui tantum *de modo inveſtigandi verum* quærit. At hoc libro de iis iterum eſt diſputandum duplici de cauſſa: quarum eſt altera, ut deliria Scepticorum, qui eas negant, penitus intelligamus: &, quo modo iis occurri poſſit, notum habeamus, & in promtu: altera, ut, quæ ſint primæ veritates, ex quibus ceteræ fluunt, penitus dignoſcamus.

Porro veritates primas duplici nos via conſequimur: vel *intimo ſenſu* [ſeu *conſcientia*, ut vocant] vel *humana ratione*. Illæ nullo ſenſuum externorum adjumento percipiuntur, & *internæ* vocantur. Hæ ſenſuum ope comparantur, *externæ*que nominantur. De primis hoc capite, de aliis ſequenti capite diſputabimus.

[1] [illegible]il. *part.* 1. *c.* 1.
[2] *I*[illegible]. *cap.* 3.
[3] *Ibid. cap.* 7.

Prima itaque, & præcipua veritas humanæ omnis cognitionis eſt, *cognitio propriæ exſiſtentiæ, & earum rerum, quæ in animo eveniunt*. Hanc non ſenſuum miniſterio, non ullis argumentationibus, ſed *intimo ſenſu* ac tacita quadam conſcientia percipiunt homines ſinguli: adeo ut interrogati, *an ſint, an cognoſcant, an velint, aut nolint, an dolorem ſentiant, an voluptatem*; ſine ulla hæſitatione omnes reſpondeant, alterutrum ita eſſe: quia adeo perſpicue id menti objicitur, ut nihil ſupra: & qui aliquo argumentorum genere id ipſum probare vellet, rem obſcuraret potius, quam inluſtraret.

Itaque prædicta cognitio eſt maxime evidens: ſeu, ut alii vocant, habet *evidentiam Mathematicam*: [1] ut etiam ceteræ, quæ ex dicto principio proxime fluunt, veluti demonſtrationes omnes recte factæ, quæ iccirco *Mathematicam evidentiam* habere dicuntur. [2]

Caput III.

Oſtenditur primas veritates cognoſci itidem poſſe recta ratione.

Atque de *intimo ſenſu* ſatis dictum. Venio ad alteram cognoſcendi viam, nempe *rectam rationem*. Nomine *rectæ rationis* ſignificamus, *facultatem, quam habent homines ratione utentes, ut de rebus, quas non intimo ſenſu percipiunt, eo-dem*

[1] *Evidentiam* Mathematicam, & Metaphyſicam *eamdem eſſe, diximus in Logica L. IIII. p. 1. c. 3.*

[2] *Repete quæ diximus* in Logica *loc. cit.*

dem modo judicent omnes, aut fere omnes: quod judicium ex nullo præcedenti ductum, ſe ipſo menti ſe offert. [1] Hæc itidem definitio per ſingulas partes adeo perſpicua eſt, ut orationem noſtram non deſideret.

Itaque *recta ratio*, quæ alio nomine *communis ſenſus*, & *naturæ vox* appellatur, in omnibus, modo ac ratione utuntur, inveniri ſolet. Dixi tamen ſupra, *vel fere omnes*: quia plurimi, qui ratione utuntur, quædam vel negant, vel dubitant, quæ reliqui uno conſenſu amplexantur. Hæc tamen probant tantum, hujuſmodi homines præjudicatis ſententiis impeditos de rebus recte judicare non poſſe: nihil tamen officiunt communi ſenſui, aut rerum evidenti notioni.

Itaque *communis ſenſus*, quem Deus poſuit in omni animo, omnes quidem ducit ut de rebus perſpicuis eodem modo dijudicent. Verum cum Deus hominem liberum condiderit, ipſeque libertate ſua in judicia inepta frequenter incidat; ita iis mentem animi hebetat & retundit, ut nihil interdum videat

[1] Recta ratio *duo manifeſte complectitur*. *Alterum*, facultatem eodem modo de rebus, quæ extra nos ſunt, judicandi: quæ facultas omnibus ineſt, qui recto rationis uſu valent. *Alterum*, facultatem inferendi ex veritatibus jam cognitis alias veritates per neceſſariam concludendi rationem: *quod ſine prima facultate fieri non poteſt. Interdum tamen pro prima facultate ſumitur, ut hoc loco; interdum pro ſecunda.*

ex vero; quod alii alio modo faciunt. [1] Quare ſi uno aut alio caſu ſenſui communi aliquis repugnat, *ineptus*; ſi in omnibus repugnat, *demens* appellatur.

Illud tamen in hoc caſu mirabile occurrit, quod etiamſi tanta ſit præjudiciorum copia, tantaque in judicando varietas, ut vix unum doctiſſimum,

[1] *Cauſſæ cur* ſenſus communis *non in omnibus eodem modo ſe habeat, plurimæ ſunt, ſed ad quædam capita referri facile poſſunt. Harum* 1. *eſt* Vana gloria, *quæ nos movet ut alio modo, ac ceteri homines, & cogitemus, & loquamur, quo facilius præter ceteros ingenioſi prædicemur*. 2. Nimia diligentia *ſeu* curioſitas, *quæ nos inpellit ut de rebus, quæ humana ratione inveſtigari non poſſunt, judicium faciamus*. 3. Partium ſtudium, *quod facit, ut mordicus ſectæ, cui dedimus nomen, adhæreamus: veluti Pyrrhonii, & Academici, qui ea de cauſſa generalem dubitationem vehementer propagarunt*. 4. Negligentia, *itemque* celeritas in judicando, *nam ſæpe, quod non recte examinemus principium, quod nobis eſt ſyſtematis fundamentum, decipimur a continuata progreſſione ac ſerie illa evidentium propoſitionum, quæ ex eodem recte ducuntur*. 5. Inſolens philautia, *quæ nos veluti cogit, ut ſenſui communi non auſcultemus, qui veritates quaſdam, quæ nobis incommodæ videntur, liquido repræſentat. Hæc aliaque ejuſmodi, de quibus* Logicæ L.IIII. p.1. c.5. & 6. *commemoravimus, cauſſa ſunt cur homines in quibuſdam rebus* ſenſus communis *expertes eſſe videantur: & re vera ita ſunt, ſi reliquum genus humanum, quod alio modo cogitat, cum iiſdem conferamus*.

mum, & prudentiſſimum invenias, qui non in aliquo caſu ineptus ſit: tamen plerique omnes in certis rebus ita conſentiunt, ut nulli magis. Is itaque *ſenſus communis omnium* pro regula veritatis haberi debet, non ille ineptorum quorumdam.

Id adeo verum eſt, ut non modo in rebus communibus, ſed in quibuſdam privatis locum habeat. Quare ſi in iis, quorum notitiam & uſum habeo, videam alios non æque exercitatos diverſo modo judicare, ac ego; jure optimo judicare poſſum, eos errare. Sin, rebus omnibus æqualibus, plerique omnes diverſo modo judicent, indicium eſt clarum, & certum me errare: neque enim fieri poteſt, ut tot homines apti ad judicandum fallantur, ego ſolus ad ſcopum collineem.

Exemplo rem inluſtremus. Artes ſingulæ, ut Eloquentia, Poeſis, Architectura, Pictura, ceteræ habent aliquid ſibi peculiare, in quo ſita ſit eorum perfectio: idque non unus, & alius de populo, ſed viri his ſtudiis contriti, & in Antiquitate bene verſati ſoli cognoſcunt. Finge te orationem aliquam, vel poema a te, vel ab amico factum vulgare, atque laudare, ſed tale, quod tibi, tuique ſimilibus tantum placeat; at viris pleriſque, veteris Eloquentiæ, & Poeſios callentiſſimis, purum putum *ſexcentiſſimum* ſapiat. Quis ſanus dicet, te recte judicare, ceteros errare? quia veriſimile non ſit, ut tot homines, qui ea callent, ex quibus recte judicare apti ſint, errent, tu vero ſolus recte judices. Itaque communis ille ſenſus omnium, qui recte judicare in his poſſunt, nobis ſit oportet criterium veritatis. Ideoque quod plerique omnes bene docti in aliqua facultate judicant recte ſe habere, ita

ita ſe habeat neceſſe eſt: nam hoc commune judicium eſt quædam naturæ vox, quæ in hominibus, qui dijudicare poſſunt, ex intimo pectore erumpit.

Dixi *bene docti*, & *qui dijudicare poſſunt*: nam ſi innumeri *ſexcentiſtæ* v. g. aliquid vel laudent, vel vituperent, nihil momenti adferunt: nam cum in Antiquitate verſati non ſint, nec recte judicandi principia noſcant, nihil efficere poſſunt adverſus eum, qui talibus principiis munitus ſit: proptereaque audiendi non ſunt. Quod autem de Eloquentia, & Poeſi dico, de ceteris artibus ingenuis, ut Architectura, Pictura, Muſica, immo & de vulgaribus omnibus dicta putatote. In omnibus his ſenſus communis peritorum primas veritates oſtendit. In reliquis enim rebus, de quibus omnes judicare poſſunt, etiam ſenſus communis omnium aperit primas veritates. Unum tantum ſupereſt examinandum, an hujus generis judicia aliqua exſiſtant: quod paucis eſt explicandum.

Porro plurima eſſe ejuſmodi judicia, quæ & fere omnes faciant homines, & ex nullis aliis clarioribus deducantur, omnino extra controverſiam erit ei, qui humanas actiones, quique judicia recte examinarit. Hujuſmodi ſunt, ut a notioribus incipiamus, judicia iſtiuſmodi:

I. *Ego talem, & talem colorem, & ſtaturam habeo.*

II. *Ego ſum unus, non duo homines.*

III. *Ego corpore, & intelligentia præditus ſum.*

IIII. *Ego liber ſum: id eſt ſine ulla cauſſa, quæ me cogat, facere poſſum, quod mihi placet.*

V. *Exſiſtunt in hoc orbe terræ alii homines præter me.*

VI. *Ego*

VI. *Ego me ipſum non creavi.*

VII. *Non ego tantum, ſed ceteri homines corpore, & intelligentia præditi ſunt.*

VIII. *Quidquid ſummo artificio eſt factum, id ab aliqua cauſſa ratione prædita factum eſt.*

VIIII. *Si homines multi numero, & ſani judicii, ac probatæ fidei aliquid non auditum, ſed cognitum teſtentur, id pro certo & explorato habendum eſt*: & alia hujuſmodi.

Hæc judicia ex aliis non oriuntur, ut eſt perſpicuum: deinde adeo ſunt clara, ut nihil clarius: poſtremo ab omnibus, ineptis quibuſdam exceptis, admittuntur. Recte itaque pro primis veritatibus habentur.

Quærat aliquis, qui differunt primæ veritates *intimo ſenſu* cognitæ, ab iis, quæ *recta ratione* cognoſcuntur? Si perſpicuitatem, & certitudinem quærimus, nihil omnino differunt. Si modum, quo nos certiores faciunt, non nihil differunt. Nam veritates, quas intimo ſenſu cognoſco, ita menti meæ præſentes ſunt, ut non niſi dementes de earum exſiſtentia dubitare poſſint. Quæ vero recta ratione adquiruntur, non ita valide ac efficaciter me cogunt, & volentem nolentem trahunt ut adſentiam; cogunt tamen, ſi animum ad id adverto.

Exemplo ſit demonſtratio Mathematica, & Metaphyſica; quarum utraque ſumma evidentia, & certitudine fruitur. Mathematica tamen, quia numeris & figuris conſtat, quæ nos vividius tangunt, ita alte in animo defigitur, ut volentem nolentem me rapiat ad conſentiendum. Metaphyſica vero etſi cogit, ſponte illa quidem ut ita loquar, me ducit, non tamen invitum rapit. Quare [ut ut dicunt ali-

aliqui, qui eas alio & alio nomine appellant, ex quo innumeræ diſputationes de vocabulo, eæque minime neceſſariæ, proficiſcuntur] illud apud omnes exploratum eſt, utraſque veritates ita hominem ad conſentiendum cogere, ut non niſi ſtulti & inſani eas non admittere queant: quod ad id, quod quærimus, ſatis eſt.

Caput IIII.

Diluuntur argumenta eorum, qui negant ullas eſſe veritates.

Mirabuntur, Adoleſcentes, hic aliqui viri docti, me diluendis dedita opera Scepticorum argumentationibus integrum caput deſtinaſſe, cum illæ vel ex ſola vocabulorum expoſitione apud eos, qui ratione recte uti ſciunt, & facile & invicte refutari poſſint. Quibus ego rationem conſilii mei notam eſſe cupio, & ſpero equidem eiſdem me probaturum, ſi pauca prius dixero.

Ego ſane in eadem ſum ſententia, argumenta Scepticorum inepta eſſe, nec plane digna, quibus tanto eruditionis apparatu viri doctiſſimi reſpondere conentur. Verum cum hac ætate Scepticorum nomen, tum propter quorumdam præſtantem doctrinam, qui talia deliria defendere non dubitarunt; tum etiam propter celebritatem eorum, qui eiſdem reſponderunt, nobilitatum fuerit, & in omnium ore verſetur; meum eſſe putavi, quid de iis judicare oporteat, vobis exponere: ne vos tantis nominibus decepti vobis perſuaderetis, Scepticorum argumenta tantum habere momenti, ut iis non ſine magno labore, ac incredibili eruditione

oc-

occurri poſſit. Quare ad irridendos potius, quam confutandos, Scepticos, talia ſcribere mihi propoſui: quod mihi perſuadeam, ita facile eorum cavillationes refutari poſſe, ut irridendi potius, quam argumentorum copia labefactandi, deliri illi homines videantur. Accedit quod de primis veritatibus non ante dicere poſſumus, quam efficiamus, veritatem poſſe cognoſci: ideoque de ea hoc loco breviter dicendum eſſe videtur.

I.

Ac primum illud tamquam nemini ſanæ mentis dubium pono, cognitiones, quas *intimo ſenſu* habeo, veluti *me exſiſtere, me cognoſcere, me aliquid velle, aut nolle*, nullo argumentorum genere confutari poſſe. Nam primum, qui hæc oppugnare velit, plane neſcit, an ego tales cognitiones nunc temporis habeam, an non: propterea nihil de iis aut adfirmare poteſt, aut negare. Deinde etſi eidem aperiam, me tales notiones habere, nullis argumentis cogere me poterit ut id negem, vel dubitem. Quo enim modo, quibus rationibus efficiet, *me non exſiſtere*? Age fingamus Scepticum magna rationum copia perſuadere mihi velle, de mea exſiſtentia, ac perceptione eſſe dubitandum. Ego vero eumdem, poſtquam integrum diem de eo argumento copioſiſſime & eloquentiſſime diſputavit, vel nullo negotio intelligo falſum eſſe, cum ad me revertor, cum conſidero me eſſe eum, qui illum diſputantem patienter audivi. Itaque certo conſcius mihi ſum, *me eſſe præſentem, me eum audire voluiſſe, me reapſe diſputantem audiviſſe*. Quid? ſi mihi diuturna fame, ac ſiti fatigato perſuadere ſuis ca-

cavillationibus voluerit, *me nec famem, nec ſitim ſentire*? an ulla ratione poterit? Ego vero vel quocumque pretio præſtabo, Scepticum ipſum, ſi fame triduum fatigetur, ac eidem non dico unus, ſed omnes homines, qui ſunt, qui fuerunt, qui erunt, magna eloquentiæ vi perſuadere conentur, *eum nullum ſenſum famis ſentire*; potius judicaturum, univerſum genus humanum inſanire, quam ſe acerba fame non eſſe vexatum. Adeo perſpicue hæc adfectio animo objicitur, eum macerat, ac dilaniat.

Vulgatum eſt illud Diodori Pyrrhonii, [1] qui arroganter contendebat, ſe ſuo illo dilemmate motum omnem ita negaſſe, ut ei fruſtra quiſquam occurrere vellet. Hic cum luxatum humerum haberet, & Hierophilum Medicum accerſiri juberet, ut ſibi humerum reſtitueret; Hierophilus in re ſeria nugans eodem dilemmate eidem perſuadere conatus eſt, humerum moveri & luxari non potuiſſe. At tantus dolor Diodorum vexabat, ut, abjectis Pyrrhoniorum delirationibus, non modo faſſus ſit, humerum, atque adeo omnia corpora moveri poſſe; ſed Medicum vehementer rogarit, ut, miſſis ineptiis Scepticorum, medicas manus adhiberet. Uſque adeo certum eſt acutum ſenſum doloris vel invitos cogere Scepticos, ut perſpicuæ veritati cedant. Quæ cum ex uniuſcujuſque teſtimonio, ac domeſtica experientia nota ſint, ulterius exponenda non ſunt. Manifeſtum eſt igitur, contra id, quod *intimo ſenſu* percipitur, nihil opponi poſſe, quod aliquid momenti habeat in diſputando.

Ve-

[1] *Apud Sextum Empir.* Pyrrh. Hypot. L.II. ſect.245.

II.

Venio ad eas notiones, quæ *recta ratione*, atque adeo *ſenſuum præſidio* comparantur. Nam aliqui ſunt philoſophi Recentiores, [1] qui de rebus, quæ *intimo ſenſu* percipiuntur, non dubitant; maxime vero de aliis, quæ *ſenſuum ope* comparantur. Quorum argumenta expendenda nunc ſunt. Ea tamen, ſi recte perpenduntur, ad tria genera commode reduci poſſunt: adeoque tribus tantum argumentis eorum omnem dubitandi rationem complectemur.

I. Primum eſt. Animus noſter id clare tantum & certiſſime percipit ac ſentit, quod in ſe habet: id eſt, clare tantum ſentit perceptionem ſuam, cum animo ipſi præſens eſt. [2] Sed corpora externa, immo & noſtrum corpus, etiamſi per ſenſus ali-

---

[1] *v. g. Hiberni quidam in* Dialogis *Dublini editis, qui præter mentem, ac ideas, nihil exſtare putant.* [*Wolfius in* Pſychol. Rationali] *ſed fruſtra hanc ſibi laudem vindicant Recentiores hi, nam veteres Cyrenaici id ipſum multo ante dixerunt.* „ *Negant*, inquit Cicero, *eſſe quidquam,* „ *quod percipi poſſit extrinſecus: ea ſe ſola percipere, quæ tactu intimo ſentiant, ut dolorem, &* „ *voluptatem: neque ſe, quo quid colore, aut quo* „ *ſono ſit, ſcire: ſed tantum ſentire, adfici ſe quodammodo.* „ Academ. QQ. L.IIII. c.24.

[1] Perceptio *non ſolum repræſentat rem perceptam, ſed hoc facit, ut mens dum ſe percipere animadvertit, certiſſime cognoſcat, ipſam perceptionem menti eſſe præſentem.*

aliquid animo imprimant, tamen animo noſtro præſentia non ſunt, ut evidens eſt: Deinde omnino certi non ſumus, an animus noſter ita ſit conſtitutus, ut natura ſua poſſit eas adfectiones in ſe excitare, quas externis corporibus vulgo tribuimus; an in ſe ipſo eas experiri, quin ulla corpora eſſent. Igitur animus noſter evidenter certus non eſt, eſſe aliqua corpora extra ſe, ne ſuum quidem.

Ex hoc autem principio plura ſequuntur. 1. Animum noſtrum certo non cognoſcere, quod ante tempus, quo cogitat, evenit: v. g. *an heri exſtiterim: an centum ante annos vixerim*. Neutrum enim horum eſt perceptio mentis, quam nunc habeo, in qua ſola, ſi eos audimus, evidentia conſiſtit. Non igitur evidens eſt. At non recordamur. Quid refert? etiam non recordamur, an in utero matris fuimus; quid ibi egimus; & tamen certum eſt, nos ibi fuiſſe, & aliquos motus feciſſe. Itaque quod non recordemur, quid centum ante annos fecerimus, non eſt bonum argumentum ut dicamus, nos centum ante annos non fuiſſe. Hoc argumentum præcipuum eſt apud adverſarios, cui ſi pro merito reſponderimus, cetera nulla negotio infringemus.

Reſponſio ex ritu Dialecticorum eſt. Negamus maiorem propoſitionem ſyllogiſmi. Nam falſum eſt, nos tantum ſcire certo & evidenter, *eſſe in nobis talem perceptionem*: nam etiam ſcimus evidenter, *eſſe reapſe objectum talis perceptionis*. Negamus etiam ſecundam partem minoris. Nam itidem certi ſumus, *ejuſmodi impreſſiones reapſe ab objectis corporibus remote provenire*. Qui, inquies, utrumque illud clare, & evidenter ſcimus? dicam, nec id

ma-

magna circuitione verborum, tanta eſt rei evidentia.

Quod ad primam partem, tam perſpicue menti noſtræ objicitur, *nos habere talem perceptionem*, quam objicitur, *exſiſtere objectum talis perceptionis*. e.g. Tam perſpicue ſentio, *me corpus meum cognoſcere*, quam *corpus meum eſſe*: nec enim illud cognoſcerem, nec ſentirem, niſi eſſet. Item tam perſpicue cognoſco, *me, cum ad lapidem celeriter offendo, dolorem ſentire*, quam *lapidem eſſe, in quem offendi*. Qui enim alterum altero obſcurius eſt? Provoco ad omne genus humanum, qui, ſi interrogentur, *an poſſit aliquis dolorem ex incurſu in lapidem ſentire, quin lapis exſiſtat, in quem incurrat*; ſine ulla dubitatione omnes reſpondebunt, *fieri non poſſe*: &, quod inde fit conſequens, pro certo & perſpicuo habebunt, *lapidem exſiſtere*. Quid, quæſo, amplius requiritur, ut dicamus, rem eſſe perſpicuam? ego vero nihil video.

Altera pars eadem ratione demonſtratur. Nam ita perſpicuum eſt, *me dolorem ſentire*, quam eſt perſpicuum, *dolorem ex offenſione in lapidem oriri*. Quis enim ſanæ mentis de hoc dubitabit? Interroga ſingulos homines, nec doctos modo, ſed indoctos, ſed femellas, ſed puellos, modo ſani cerebri ſint; *an dum dolorem ex offenſione in lapidem percipiunt, hic dolor ex lapide, an ex motu aeris, an ex quartana, an alia de cauſſa proveniat*: omnes reſpondebunt, *ita apertum eſſe, dolorem ex offenſione in lapidem provenire, ut inſanus ſit qui neget*. Cur ita? quia adeo perſpicue hoc ipſum menti animi objicitur, ut nihil clarius objiciatur: adeo ut ſi ulteriorem rationem petas, inſanias: nihil enim

clarius eſt, ex quo id demonſtrari & effici poſſit. Non ſecus ac ille, qui rem clariorem luce quæſierit, nihil inveniet, ſed tenebras offendet.

Quod ad ſecundam partem, reſpondeo, *nos tam certo ac evidenter cognoſcere, animum noſtrum natura ſua non habere ut tales impreſſiones in ſe excitet, quas corporibus externis tribuimus, ut nihil certius, nihil clarius cognoſcamus*. Nam primum ejuſmodi impreſſiones numquam in animo excitantur, niſi præſentibus corporibus, & propter eorum motum. Deinde, remotis corporibus, etiamſi ego velim in me excitare acutum ſenſum doloris, aut voluptatis, non poſſum. Itaque a corporibus certiſſime oriuntur. Finge me vehementer in præſentia velle in animo meo excitare intimum illum ſenſum doloris, quem cepi, cum ad lapidem offendi. Finge velle etiam excitare intimum illum ſenſum dulcedinis, quem percepi, cum pomum *Ananaz* vel purum, vel ſaccharo conditum manducavi. An poſſum? an ullus adeo bardus erit, ut dicat, ſe illum excitare poſſe, eumdemque pro lubitu ſentire? [1] Quod ſi id eſſet, fruſtra nos, cum ſaturi ſumus, delicatiores & rariores cibos vehementer appeteremus, iterumque comederemus, ut faſtidio

[1] *Poſſumus quidem nos in memoriam revocare notitiam quamdam confuſam voluptatis, quam percepimus; non tamen eundem voluptatis ſenſum excitare. Dico notitiam* confuſam: *nam dum aliquid ſimile manducamus, cognoſcimus non eſſe* ananaz; *non tamen notitiam illam* ananaz *plane diſtinctam habemus. Hæc ex iis, quæ diximus in Logica L. II. c. 10., clarius demonſtrantur.*

dio quotidianorum ciborum occurreremus : ſed ſatis eſſet , ſenſum illum voluptatis ex. gr. in ſe pro lubitu excitare, ut omnibus deliciis diffueremus.

Felices terreſtribus, & caducis iſtis felicitatibus comiſſatores illos delicatos, quorum unica cura venter eſt, ſi vera eſſet horum Philoſophorum ſententia! Magnam certe gratiam eiſdem haberent, propterea quod eos magna impenſa liberarent, quam in coquis, piſtoribus, epulis exquiſitiſſimis delicatiſſimiſque, e longinquo magna vi auri perductis, abſumere coguntur. Quæ cum ex domeſtica & minime dubia periclitatione notiſſima ſint & evidentia; relinquitur, tam certo atque aperte nos ſcire, *animum noſtrum eam virtutem non habere, ut ideas in ſe excitet, quas externis corporibus tribuimus*, ut nihil apertius cognoſcamus: &, quod inde evidenter conſequitur, apertum eſt etiam, *tales ideas ab ipſis corporibus proficiſci, iiſque tribui debere*.

Ad illud ultimum dico, *neminem judicare poſſe, quid in nobis eveniret, ſi nulla corpora eſſent*: nec enim nos, nec adverſarii id experti ſumus: nihil igitur de tali caſu poſſumus judicare. Contra cum in hac vita corporibus circumdati ſimus, ex eorumque præſentia has & illas adfectiones ſemper & in omni caſu ſentiamus; recte pronunciamus, a corporibus oriri eas.

Sed ne ex ambiguo philoſophemur, ut nimis multi faciunt diſputantes, qui ea de cauſſa ſine ullo fine de vocabulo altercantur, alterum ab altero ſecernere neceſſe habemus. Itaque alterum in hoc negotio nobis omnino apertum, alterum tenebris

 plane

plane involutum eſt. [1] Nos percipere objecta; ſentire dolorem, aut voluptatem, velle, nolle; hoc amplius, ſenſus, ſeu adfectiones animi noſtri ab externis corporibus oriri, ita eſt perſpicuum, ita certum, ut nihil certius aut evidentius requiri, & excogitari poſſit. E contrario, quo modo externa corpora quinque ſenſuum externorum miniſterio varias adfectiones animo imprimant [ſeu, quod idem eſt, quo modo mens noſtra ideas rerum per ſenſus adquirat] tam eſt obſcurum, tam inplicatum, ut etſi graviſſimi Philoſophi tot ſæcula de hoc argumento ſumma animi contentione diſputarint, nihil effecerint, nullaque in re nos fecerint doctiores: idque nullo modo humanis rationibus expediri poſſe, pluſquam perſpicuum eſt. In iiſdem verſamur tenebris, in quibus bis mille ante annos eramus. Ut mirer in tanta litterarum luce, tam acerrimis hominum ingeniis, qui in hac intricatiſſima diſputatione conatus omnes ingenii fruſtra effuderunt; adhuc inveniri aliquos, qui ſe bellos, & egregios philoſophos Recentiores eſſe putent, qui alias, & alias hypotheſes excogitare arroganter ſibi ſumunt, quo facilius ejuſmodi phænomenon expedire conentur.

Nos vero, Adoleſcentes, qui vos veris inſtitutis imbuendi provinciam ſumſimus, coacti ſumus nulla in re hæſitantes dimittere: ſed ita ſingula vobis tradere, ut non modo, quæ aliqua ratione intelligi poſſunt, aperiamus; ſed ſi qua occurrunt, quæ finiri nequeunt, de iis vos aperte & ingenue mo-

[1] *De hoc jam aliquid diximus in Logica L. II. c. 2.*

moneamus, ne in rebus inutilibus tempus incommodo veſtro fruſtra teratis. Nec eos Philoſophos moramur, qui, quod omnia facili ratione expedire ſe putant, verbis inanibus diffluunt; dumque ſcire ſe omnia adfectant, ipſi ſoli neſciunt omnia. Ego autem veri Philoſophi eſſe puto, non ſolum, quæ intelligi poſſunt, explanare; ſed, quæ cognoſci a nobis nequeunt, plane, atque ingenue fateri: in eoque magnam ſapientiæ partem ponendam eſſe puto.

Quare rurſum vos moneo, diſputationem illam *de modo, quo externa corpora per ſenſus aditum ſibi aperiunt ad mentem*, ſilentio prætereatis: propterea quia nullus hucuſque id aliqua ratione explicare potuit: nec facile poterit, cum cognitum non habeamus, quo modo ſenſus ſe habeant in perceptionibus adquirendis: quæ ſit ſenſuum interna fabricatio: quæ cum cerebro conjunctio: &, ut verbo dicam, quænam corporis, quænam animi natura, quænam utriuſque conjunctio & complexio. Quibus niſi plane cognitis & explicatis, de ceteris nullo modo poſſumus judicare, quod jam alibi [1] monuimus, & iterum alio libro erit explicandum. [2]

Illud hoc loco tantum amplectamur, quod nemini dubium eſt, certum & evidens eſſe primum, *nos reapſe impreſſiones aliquas ſentire*: deinde, *ejuſmodi ſenſus animi ex corporibus proficiſci*: poſtremo, *eſſe extra nos corpora, quæ id faciant*:

 quæ

[1] *In Logica L. II. c. 1. & præſertim cap. 2. & etiam 3.*

[2] *In Pſychologia.*

quæ tria univerſi homines, qui ratione bene utantur, perſpicua eſſe, mirifica conſenſione defendunt.

Accedit aliud argumentum firmiſſimum, quo tria hæc muniuntur, & confirmantur. Nam ſi ſingulorum hominum, immo vero eorumdem Scepticorum vitæ diſciplinam curioſius indagamus, reperiemus eos ita de ejuſmodi rebus eſſe perſuaſos, ut nulli Dogmatici magis. Nullum enim eorum, qui ſe pro veris Scepticis haberi cupiunt, vidi, qui ab aliquo opere temperaret, hoc nomine, quod dubitaret, *an ipſe eſſet: an corpus haberet: an ceteri homines exſtarent*. Sed omnes eodem modo ſe habebant, eodem vivebant, eodem corpus curabant, ceteraque munia obibant, quo ceteri, qui germani Dogmatici dicebantur: quod certe non facerent, ſi veri Sceptici eſſent. Ipſi itaque ſuæ vitæ diſciplina declarant, *ſua ſibi argumenta nullius ponderis videri: nullam vim ſibi adferre, ut a rebus perſpicuis abſtineant: eodem modo agere ac ceteri homines*. Quod ſi ne Sceptici quidem in uſu vitæ ullam rationem habent ſuarum dubitationum; ſi univerſum genus humanum poſtquam Scepticos audivit, & eorum argumentationes perpendit, & conſideravit, eodem modo operare pergit, nec de illis veritatibus umquam dubitavit; duo manifeſte conſequuntur: alterum, Scepticos deceptores eſſe, qui aliud dicant, aliud faciant: alterum, res ipſas tam eſſe perſpicuas, ut non modo homines ceteri, ſed Sceptici ipſi vel inviti ad conſenſionem pertrahantur. Adeo *naturæ vox & communis ſenſus* pro regula habetur veritatis.

1. At enim, inquiunt, qui ſcimus omnes homi-

mines, eodem modo de rebus perſpicuis judicare, ac nos judicamus? quis cunctas nationes, quis ſingulos homines conſuluit, eorumque cogitata examinavit? Infirmum eſt igitur, quod ex ſenſu communi hominum ducitur, argumentum.

Sed primum quæro ab adverſariis, *qui ſciunt ipſi, eſſe alias gentes, alios homines præter eos, quibuſcum verſantur?* Nam ſi id pro certo non habent, fruſtra ex eorum judicandi ratione contra nos pugnant: ſin autem habeat, doceant nos, qua via id pro comperto habeant. Nullam profecto adducent, niſi aliorum hominum [nec enim adverſarii per ſe ipſi omnia viderunt] teſtimonium, qui id una voce teſtantur, remque ipſam ſua auctoritate tam perſpicuam faciunt, ut ipſi Sceptici tale argumentum nobis opponere non dubitent. At nos eadem argumentatione utimur contra eos. Nam cum ſinguli homines, qui apud exteras gentes fuerunt, ſummo conſenſu adſeverent, eas pro certo habere, *ſe eſſe, ſe corpus habere, eſſe alias gentes præter ſe*, & id genus alia; id ipſum tam evidens nobis fit, ut nihil evidentius ſe offerat: adeo ut ſi de hoc dubitemus, dubitare etiam debeamus, *an ſint exteræ gentes ullæ, an urbes, an regna alia*. Quid? qui vicum aliquem, qui oppidum, qui urbem non ſunt eggreſſi, dubitare etiam debent, an in eodem regno aliæ urbes, alia oppida, vici, pagi, homines, quos non viderunt, exſiſtant. Quod quam ſit ineptum, videtis. Atque quemadmodum dementis eſſet dubitare, an reliquum genus humanum rationis particeps eſſet; an ejuſdem figuræ ac nos; an cibo, ac potu indigeret; an eadem ratione comederet, ambularet, cubaret, ceteraque, quæ hu-

humano generi conſentanea ſunt, faceret; ita non niſi dementis erit dubitare, an reliquum genus humanum eodem modo ac noſtri homines de rebus perſpicuis judicet, eodemque communi ſenſu regatur.

Hinc plane conſequitur, ut aliquid perſpicuum, atque ex ſenſu communi ductum habeatur, ſatis eſſe, quod fere omnes, quibuſcum vivimus, id judicent homines: etſi pauci aliquot inepti, quorum habenda non eſt ratio, in contrariam partem diſputent. Nam cum *moraliter* evidens, quanta maxima evidentia haberi poteſt, nobis ſit, univerſum genus humanum eodem modo in rebus iis judicare, ac noſtri homines facere ſolent; ſi videmus omnes homines, cum quibus verſamur, nullis, aut fere nullis exceptis, & ſemper, & eodem modo de rebus claris judicare; ſine ulla dubitatione judicare debemus, univerſum genus humanum ita ſe habere: &, quod itidem ſequitur, pro certo & perſpicuo habere, tale judicium eſſe ſenſum communem omnium.

Vera igitur eſt regula, quam poſuimus: [1] *In iis in quibus omnes judicare poſſunt, communem omnium ſenſum eſſe criterium veritatis: in iis vero, quorum notitia non niſi ad certos pertinet, ſenſum communem omnium, qui illa tractant, eadem de cauſſa pro vero haberi debere.*

2. Dicet aliquis: qua ratione certo ſcimus, univerſum genus humanum delirare non poſſe? præſertim cum videamus ſtultiſſimas opiniones multitudinis judicio comprobari. Solem eſſe bipedalem, ſen-

---

[1] *Hoc libro cap.3.*

ſentiunt fere omnes indocti: quod profecto eſt falſum. Nihil tam abſonum in moribus, quod non ab aliqua natione receptum habeatur. [1]

Verum reſponſio ex dictis facile exſiſtit. Principio hoc pono, multo facilius, & veriſimilius eſſe, quod Sceptici omnes, qui habita ratione generis humani ſunt omnino pauci, aut fere nulli, delirent, & furioſi evadant, quam quod univerſum genus humanum deliret. Quod ſi ſemel concedimus, genus omne humanum delirare poſſe, qua ratione efficient Sceptici, Scepticos ipſos non delirare? Probent Sceptici omnino evidenter, ſe a delirio eſſe inmunes; tum demum fatebimur, univerſum genus humanum, iis exceptis, delirare poſſe. At id profecto non probabunt: quidquid enim reponent, id reliquum genus humanum falſum eſſe contendet; Nihil igitur conficere poterunt.

Nos vero, præterquam quod hoc ipſum per ſe perſpicuum eſt, univerſum genus humanum delirare non poſſe; aliquibus argumentis iiſque ſatis evidentibus id efficere poſſumus. Nam primum uſus hominum perſpicue docet, fieri non poſſe, ut tot homines alia, & alia ætate, aliis & aliis moribus, alio & alio tempore, in alia & alia regione viventes, plane ſint perſuaſi, rem aliquam ita eſſe, quin ita reapſe ſit. Non enim niſi rei perſpicuitas tot tamque varia ingenia cogere poteſt, ut uno conſenſu id dicant. At omnes homines plane ſunt perſuaſi, *ſe eſſe*, *ſe non eſſe alios homines*, & hujus generis alia. Igitur perſpicuum id eſt. Deinde ſi aper-

[1] *Vide*, *quæ diximus in* Logica L. II. part. 2. c. 5. §. 2. pag. 124.

apertum eſt, ut profecto eſt, unicuique ſanæ mentis evidens eſſe, *ſe eſſe*, *ſe corpus habere*, & his ſimilia; multo magis id erit evidens, ſi tot homines tam variis ingeniis, tamque diverſis in locis id ipſum conſtanter dicant: nam tot hominum conſenſus rem jam ſatis natura claram, magis magiſque claram reddit.

Illud, quod addunt, *errores aliquos multitudinis judicio comprobari*, verum eſt de una & altera natione, non vero de omnibus. Nullus enim error valde perſpicuus eſt, in quo nationes omnes conſentiant. Etſi enim quædam gentes perverſis moribus ſint; vitiaque aliqua apud quaſdam nationes in laude ponantur; hæc tamen aliæ & plures, & cultiores deteſtantur, & prava eſſe una omnium voce defendunt.

Nam illud aliud *de Sole*, nullius pæne momenti eſt. Tametſi enim indocti, & qui de his judicare non poſſunt, bipedalem eſſe dicunt; tamen viri docti, qui apud eaſdem nationes ſunt, id ipſum conſtanter pernegant. Deinde ita indocti id adfirmant, ut nullo negotio contrarium amplexentur, minimum de eo dubitent, ſi a viris doctis argumentis & exemplis familiaribus, & perſpicuis erudiantur, & fatigentur. Nam ſi indoctos interroges, an Aſtronomiæ ſtuduerint, ex qua ſola de his rebus judicare poſſumus; an bonis Teleſcopiis uſi ſint, ut id ipſum quodammodo explorare poſſint; plane fatebuntur, nihil ſe tale feciſſe. Deinde ſi indocti audiant viros doctos, & probatæ fidei, qui in concione dicant, Solem multo maiorem eſſe Terra; vel credent, vel de ſua opinione dubitabunt. Tum ſi globum bipedalem illis objicias, & centum longe ab iis paſſus col-

colloces, & poſtquam oſtendiſti eis, ejuſmodi corpora in alia & alia diſtantia collocata ſenſim minui, donec oculis cerni non poſſint; atque ex tali ſimilitudine argumentando confeceris, Solem, qui tanta intercapedine nobis bipedalis apparet, debere multo majorem eſſe terra; id ita iis planum & perſpicuum facies, ut nullo negotio perſuadeas. Non ita vero efficies, ſi pluribus hominibus mentis ſanæ, tametſi indoctis, perſuadere coneris, *eos non exſiſtere; eos eſſe unum hominem tantum, eos corpus non habere, eos nullum dolorem ex corporibus externis percipere poſſe*. Nam primum irridebunt te, & pro inſano, aut furioſo habebunt: deinde ita obfirmato animo in ſua opinione permanebunt, ut nihil magis. Perſpicuum eſt igitur, eſſe aliquas cognitiones ita evidentes, ut nullis rationibus, aut laqueis everti queant: ideoque perſpicuum eſt, *eſſe corpora extra nos, & noſtrum etiam*. Et hæc de primo argumento Scepticorum.

Venio ad conſecutiones, quæ ex illo principio adverſariorum proficiſci dicuntur: quarum unam & alteram ſupra eodem loco, ubi argumentum poſuimus, tetigimus. Eæ autem hujuſmodi ſunt, ut ei, qui rationes hucuſque expoſitas recte intellexerit, nullam vim adferant, nihil momenti habeant: quod paucis eſt explicandum.

Principio ſi negamus illud principium, *nos ea tantum evidenter cognoſcere, quæ animo noſtro præſentia ſunt*, tota machina ruit. Nos vero hucuſque perſpicuis argumentis confecimus, ejuſmodi principium eſſe falſum: ideoque ſtabilivimus, nos etiam perſpicue cognoſcere, *eſſe extra nos alia*. Itaque cum heri perſpicue cognoverim, *me exſiſtere*; etiam hodie,

die, dum id in memoriam revoco, de eo certo conſcius mihi ſum. Deinde cum evidenter cognoſcam, nullum eſſe argumentum ut judicem, *me centum ante annos vixiſſe*; plurima vero, & ſatis perſpicua, tum Phyſica, tum Moralia ſe offerre, ut judicem, *me certum annorum numerum vixiſſe, non plus*; etiam id certum habeo & perſpicuum. Jure igitur contendo, & adſevero, omnia, quæ ex illo principio ducuntur, confectaria falſa eſſe: &, quod proxime ex hoc principio fluit, itidem adſevero, *me certo cognoſcere illud, quod ante tempus, in quo loquor, evenit.*

Illud, quod ſequitur, *de infante in utero matris*, nullam vim habet ad efficiendum id, quod volunt. Nam primum non eo tantum nomine, quod non recordor aliquid, nego me id feciſſe; ſed etiam quia aliis argumentis perſpicuis certus mihi ſum, me tale quid non feciſſe: nempe ex conſtanti aliorum hominum teſtimonio, quod tanti ponderis eſt, ut nullus ſanæ mentis ei reſiſtere queat. Quæro enim, quibus argumentis nituntur adverſarii ut confidenter adeo dicant, *certum eſſe, ſe in utero matris fuiſſe?* certe ex aliorum hominum teſtimonio: neque enim nullus eorum ſe in utero matris eſſe vidit, nec ibi fuiſſe recordatur. Igitur aliorum auctoritate certum & perſpicuum id habent. Eodem igitur teſtimonio certus eſſe poſſum, & vero etiam ſum, *me heri exſtitiſſe: me centum ante annos non vixiſſe*. Quod adeo eſt evidens, ut, quid amplius requiri poſſit, non videam.

II. Secundum argumentum eſt tale. Sæpe nos in quiete tam clare, & evidenter de rebus aliquibus cogitamus & diſputamus, ut nihil clarius: immo vero

vero ſomniantes dubitamus interdum, utrum *vigiles ſimus, an non*; & ſine ulla dubitatione judicamus, *vigiles nos eſſe*. Quæro jam: qui ſcimus an perpetuo ſomniemus? an per errorem judicemus, nos ea videre, quæ non videmus, & cetera generis ejuſmodi, quæ tactu, ceteriſque ſenſibus percipiuntur? Non igitur evidens nobis eſt, *nos vigilare*: non evidens eſt, *eſſe vera, quæ judicamus*: nihil igitur verum & exploratum habemus.

Hoc argumentum tanti momenti videtur eſſe non nullis, ut illud dicere non dubitent, nullam ei idoneam reſponſionem adhiberi poſſe. Sed hujuſmodi Philoſophaſtros non moramur, nec morari debemus. Illud contendimus, huic argumentationi tam facile occurri poſſe, ut nihil facilius: immo vero ex dictis plane reſponſio & clara & luculenta conſequitur, quin aliam excogitemus.

Nego itaque, *nos in quiete tam clare & evidenter, ut illi dicunt, cogitare*. Nego, *nos neſcire an perpetuo ſomniemus*. His ſublatis, ruit etiam conſequentia illa, *nobis evidens non eſſe an vigilantes ſimus*. Hæc ut recte inluſtremus, & explicemus, ab ultimis, quaſi notioribus, ad prima illa ordine progrediamur.

Principio tam evidens mihi eſt, *me in præſentia vigilem eſſe*, quam evidens eſt, *me eſſe*. Qui enim iſtud illo clarius eſt? utrumque enim eadem claritate menti meæ objicitur: utrumque eodem modo me cogit ut conſentiam. Finge me dubitare poſſe, *an ſim*: quæro, qua via me tali dubitatione liberare potero? nulla alia certe, quam aciem mentis non ſemel, ſed etiam atque etiam, alio & alio tempore, & loco intendendo ad ipſam rem, quæ cum

cum ſemper eadem claritate ſeſe offerat, ſua illa evidentia me cogit, ut adſentiam *me eſſe*.

Eodem itaque modo de vigilia mea certus mihi ſum: nam ſi rem ipſam etiam atque etiam, immo vero millies conſidero, inveſtigo, exploro, tam evidens mihi eſt, *me non dormire, ſed vigilare*, ut nihil ſupra fieri poſſit: adeo ut coactus ſim judicare, *me vigilem eſſe*: nulluſque dubitandi locus reliquus ſit, *ſomniem, an non*. Non ita vero in quiete ſe habet: nam etſi aliquando dubitem *an ſomniem*, & judicem *me non ſomniare*; talis opinio eſt ita obſcura, ita perplexa, ut vix aliquam conſiderationem mereatur. Summum ſemel, aut bis de hoc in quiete nobis contigit dubitare: non millies, & dedita opera rem indagamus: non vires mentis omnes contendimus ut id inveſtigemus: non ea claritate res ipſa ſemper nobis objicitur, qua, dum vigilamus, objici ſolet. Itaque longiſſime diſtat certitudo illius judicii in quiete facti, ab eo, quod facimus, dum vigiles ſumus: idque adeo, ut nulla ne levis quidem ſimilitudo occurrat. Perſpicuum igitur eſt, *nos eſſe vigiles*: perſpicuum, *nos non ſomniare*: ex quibus illud, quod ſupra primo loco poſuimus, proxime ac aperte conſequitur, perſpicuum eſſe, *nos non æque clare ſecundum quietem cogitare & diſputare, quam, dum vigiles ſumus, facimus*.

Ipſi etiam, qui tali argumento utuntur, nobis & argumentationem, & ejus reſponſionem luculentam offerunt. Nam primum aiunt, *nos aliquando ſomniare, & in quiete dubitare an ſomniemus, judicareque aliquando, nos non ſomniare?* Quæro: vel inprudentes id aiunt, & nulla ratione moti; & hoc caſu tamquam fatui ac deliri audiendi non

non ſunt : ſi enim id certum principium non habent, quo pacto ex tali principio nos cogere volunt ut dubitemus, *an ſemper ſomniemus*? Vel pro certo habent, ſe & ſomniare, & dubitare, & dijudicare; & aliquod habeant neceſſe eſt judicium ſeu criterium veritatis, ex quo id dijudicent. Quale, quæſo, eſt hoc criterium veritatis? Mihi ſane rem etiam atque etiam conſideranti, nullum aliud occurrit niſi ipſa rei evidentia, quæ clariſſime oſtendit, eos, dum tale nobis argumentum opponunt, *vigiles eſſe*: planeque eſſe perſuaſos, *ſe tunc temporis non dormire, nec ſomniare*: nam ſi ne de hoc quidem ſunt perſuaſi, qui poſſunt tali argumentatione ad nos oppugnandos tam fidenter uti? Certi itaque ipſi ſunt, *ſe interdum ſomniare, interdum non item*. Diſtinguunt itaque apertiſſime ſomnum a vigilia. Nihil igitur in nos efficere poſſunt tali argumento, quod ipſos eadem vi ac efficacia invadit.

III. Tertium argumentum eſt hujuſmodi. Nemo ſani cerebri ignorat, quanta ſit humanæ mentis imbecillitas & tarditas in inveſtigatione veri. Nemo non agnoſcit, quam ſæpe ſenſus externi nos fallant, a quibus pleraſque omnes notiones accipimus. Nemo ſtudiis contritus non cognitum habet, quam craſſis tenebris involuta & circumfuſa veritas ipſa lateat, præſertim in Phyſicis rebus. Nemini dubium eſſe poteſt, quam ſit in omnibus diſciplinis, in graviſſimis argumentis, iiſque longa ſæculorum ſerie diſputatis, doctiſſimorum hominum mira diſſenſio, ut vix unum, & alterum conſentientem invenias. Quid? quis item neſciat, quam fluxæ, & incertæ, & variabiles ſint res omnes? ex quo conſequitur, ut ipſa etiam cognitio earum fluxa, incerta.

certa, & variabilis ſit. Non eſt igitur verum aliquid: vel ſi reapſe eſt, ita cum falſo eſt conjunctum, ut nullum ſit ſignum, nulla nota, nullum diſcrimen, &, ut verbo dicam, nullum criterium, quo unum ab alio ſeparari poſſit.

Hæc ſunt præcipua argumenta veterum Pyrrhoniorum, [1] quæ etiam nunc ab aliquibus ineptis adhiberi ſolent interdum, dum ſe Scepticos & eſſe, & haberi arroganter & ſtulte cupiunt. Sed totum hoc tam leve eſt, tamque nullius momenti ad id, quod ſibi efficere proponunt; ut etiamſi ſingulas argumenti partes præter concluſionem admittamus, firma ſemper ſit veritas ipſa, quam defendimus.

Admitto igitur quatuor primas partes argumenti. Admitto itidem, res aliquas, non tamen omnes, fluxas, & variabiles eſſe. Quid tum? falſæ ſunt, & incertæ omnes humanæ cognitiones? id nos conſtanter pernegamus: idque adverſarii profecto non efficient.

Plura a nobis difficulter, immo & obſcuriſſime cognoſci, aut ne cognoſci quidem; ſenſuum organa nos ſæpe decipere; plura nos latere in Phyſicis; multum de rebus obſcuris, & incertis tum Phyſicis,

---

[1] *Vide Sextum Empiric.* Pyrrhonior. Hypot. L.II. ſ.18. & Adverſ. Log. L.I. ſ.48. *& Diogenem Laertium L.VIIII.ſect.71. ex Recentioribus, Sanchezium*, de Multum nobili & prima univerſali ſcientia quod nihil ſcitur. Francof. 1618. *Hieronymum Hirnhaym Canon. Præmoſtr.* de Typo Generis humani. 1676. *Huetium* de La Foibleſe de l'eſprit humain, *ceteroſque, præſertim Petrum Bælium* in Dictionar.

ciſ, tum Theologicis in utramque partem diſputari; certum eſt adeo philoſophis Recentioribus, ut illud dedita opera & longa oratione tirones ſuos doceant, quo modo hiſce malis occurrere poſſimus, veramque medicinam eis adhibeamus, & ab aliquibus abſtineamus: quod etiam nos in Logica noſtra [1] luculenter præſtitimus. Hæc tamen probant tantum, in ſingulis diſciplinis certis limitibus definitas eſſe humanæ mentis cognitiones: ſed nihil nos in iis clare cognoſcere, non probant: multo minus probant, nos nullam aliam notionem certam, & perſpicuam humana ratione comparare poſſe, quod erat efficiendum.

Itaque incerta plurima ſunt, & abſtruſa in diſciplinis ſingulis: quod nos libentiſſime fatemur: plurima tamen ſunt adeo nitida, adeo perſpicua & certa, ut nihil certius & clarius requiri poſſit. Multa vero ſuperiori ſæculo in Phyſicis inventa ſunt, quæ maiores noſtri ne inveniri quidem poſſe ſuſpicabantur: multa hoc noſtro reperta: [2] multa in dies reperiuntur: multa poſteris invenienda relinquentur. [3] In his autem, quæ repertæ ſunt, tan-

[1] *Vide quæ diximus eodem loco.*

[2] *Id ex libris academiarum Regiarum, aliorumque philoſophorum Recentiorum facile cognoſci poteſt.*

[3] „ *Veniet tempus, quo iſta, quæ nunc latent,* „ *in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligen-* „ *tia: ad inquiſitionem enim tantorum ætas una* „ *non ſufficit.... Veniet tempus quo poſteri noſtri* „ *mirentur, nos hæc tam aperta neſciiſſe.* Seneca Natur. Quæſtion. VII. c.25.

ta conſenſione optimi quique ac graviſſimi Philoſophi conveniunt, ut vel ex hoc magnum & firmiſſimum argumentum ſumi poſſit ut efficiamus, tales res eſſe veras. Deinde in ceteris rebus, quæ ad diſciplinas non pertinent, tot occurrunt perſpicuæ & nitidæ veritates, ut inſanus ſit qui neget: quod item argumentis ante adductis effecimus luculenter, quæ proinde repetenda non ſunt.

Dixi paullo ante, *non omnes res eſſe fluxas & variabiles*, & merito quidem: nam tametſi exſiſtentia rerum corporearum variari poteſt, & nunc hoc modo eſſe, nunc alio modo, aut omnino non eſſe; eorum tamen natura & eſſentia invariata permanet, nec ullo modo mutari poteſt. [1] e. g. Globum aliquem eſſe, non eſt neceſſarium, poteſt enim idem corpus fieri quadratum, aut triangulare: at fieri non poteſt quin globus non ſit corpus curva ſuperficie contentum, ex qua omnes lineæ rectæ ad centrum ductæ æquales ſint. Itaque hoc ſaltim erit verum. Cumque diſciplinæ Phyſicæ tantum conſiderent eſſentias iſtas, & proprietates, quæ ex iis conſequuntur, relinquitur objectum habere eas invariabile & fixum. Et quamquam res ut variabiles cognoſcerent, id eſt, eas eſſe mutationi ſubjectas, nullo modo fallerentur; nam cognitio cum re ipſa conſentiret. Accedit quod ſunt etiam plura omnino certa, & invariabilia in diſciplinis omnibus, ut proximæ illæ & perſpicuæ veritates, de quibus ſupra; plura etiam in Phyſica naturæ viribus

---

[1] *Hæc quo modo intelligenda ſunt, ex iis, quæ infra Libro IIII. cap.*3. *ubi* de Eſſentia, *dicemus, cognoſcetis*.

bus invariabilia, ut leges motus, proprietates materiæ, proprietates quorumdam corporum, proprietates animi noſtri. Igitur non omnes cognitiones ſunt fluxæ & incertæ, quod adverſarii tamquam omnibus exploratum ſumebant. Nos autem ut Scepticos jugulemus ſufficit oſtendamus, *quædam certo eſſe vera*: quibus illud addimus, plurima probabiliter eſſe vera, ſeu veriſimilia. Contra illi ut nos oppugnent, non ſufficit, ſi plurima incerta eſſe probent; ſed oportet omnino clare efficiant, *nihil certo eſſe verum*, quod profecto numquam efficient. [1]

[1] *Argumenta, quæ contra auctoritatem adducuntur, tum Humanam, quæ in rebus geſtis profanis narrandis occupatur; tum Divinam, eam nempe, quæ conſtituit, qui libri pro divinis haberi debent, & quæ late perſequitur Petrus Bælius* Diction. art. Pyrrho, *& alibi*; *Spinoza* Tract. Theolog. Politico, *D'Argens* Philoſofie du bon ſens, *aliique, non proferam. Primum, quia a propoſito noſtro aliena ſunt, cum ſatis hic ſit conficere*, aliquod verum eſſe. *Deinde quia nihil aliud efficiunt, niſi plura in hiſtoria Profana eſſe falſa, quod non negamus; & in hiſtoria Eccleſiæ caute & prudenter nos credere, quæ narrantur, debere; quod Critici omnes Catbolici admittunt, & nos ſupra monuimus. Poſtremo, quia cum hoc loco poſuerimus & demonſtraverimus*, aliquid certo eſſe verum; *ſuis in locis commodius ex regulis Logices demonſtratur*, qualia ſunt principia vera ſingularum diſciplinarum.

Corollarium.

Hinc recta ratio *ſenſibus* commode utitur ad verum inveniendum. Quod cap. VI. & VII. fuſius demonſtrabitur.

Caput V.

Expenduntur eorum dubitationes, qui negant, quaſdam propoſitiones eſſe primas veritates.

Hactenus argumenta eorum, qui negant eſſe ullum verum, breviter, & ordine confutavimus. Supereſt ut eos audiamus, qui non omne quidem verum negant, ſed aliquas cognitiones non eſſe *primas veritates*, ex quibus ceteræ deducantur, contendunt.

Horum tamen argumenta excutere ac infirmare, ſi plane dicendum eſt, nullo modo neceſſarium mihi videtur: idque duplici de cauſſa: Altera, quia ex triplici nota *primarum veritatum*, quas ſupra [1] poſuimus, plane conſequitur, eas notiones, quæ tales notas non habent, in cenſum primarum veritatum venire non poſſe: facile ut quiſque, quæ pro talibus habendæ, aut non habendæ ſint, nullo admonitore internoſcere queat. Altera, quia ad eum finem, ad quem Ontologia fuit inventa, parum refert, an eæ primæ veritates vocandæ ſint, an ſecundæ. Modo enim rem clare cognoſcamus, nomi-

[1] *Hoc libro cap.* I.

nominumque vim & poteſtatem firme teneamus, eaſque notiones comparemus, quarum ope veritates & internæ, & externæ probari & inluſtrari poſſunt; recte in ſingulis diſciplinis diſputabimus, quin tempus conſumamus in diſputando, an *quædam propoſitiones vocandæ ſint primæ veritates, an non*. Nihilominus addemus aliqua in gratiam tironum.

Ac primum illud pro certo ponimus, præter eas veritates, de quibus ſupra, [1] alias adduci poſſe, quæ in eumdem ordinem referantur: quas oculatus quiſque nullo negotio excogitare poteſt: neque enim omnes primas veritates enumerare nobis propoſuimus, ſed eas tantum indicare, ex quibus de reliquis judicare poſſimus.

Deinde etiam ponimus, quædam axiomata Metaphyſica, ut *duo & duo ſunt quatuor*; *totum eſt maius ſua parte*; *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*; & ejus generis alia, etiam pro primis veritatibus *lata acceptione* haberi poſſe: nam & perſpicua ſunt, & ex nullis clarioribus ducuntur, & ab omnibus ſine ulla dubitatione recipiuntur. Negat hæc clariſſimus Buffierius, contenditque ſecundum alios, [2] axiomata Metaphyſica nullas veritates externas demonſtrare. [3] In quo ego, pace viri docti dicam, ſollertiam & accurationem illam in judicando requiro, quam hic auctor præ ſe fert. Sed ejus rationes conſideremus, quæ ita ſe habent.

 I. Hoc

[1] *Hoc libro c.3.*
[2] Traité des Premieres Veritez Part.I. chap.2.
[3] *Vide Lockium* de L'Entendement Humain L.IIII. cap.7. §.14.

1. Hoc axioma, *duo & duo ſunt quatuor*, nihil aliud ſignificat, quam *ideam duorum, cum bis ſumitur, ſignificari nomine quatuor*: quod verum eſſet, etiamſi nihil creatum exſiſteret, præter unam tantum intelligentiam. Item hoc axioma, *totum eſt maius ſua parte*, hoc tantum ſignificat: *quantitas maior eſt quantitas maior, non minor*: ſeu alio modo: *talis idea eſt talis idea, non alia*. Sunt igitur tantum veritates internæ: neutrum eſt veritas externa, quæ oſtendat, judicium noſtrum eſſe conforme objecto externo: quod primarum veritatum proprium eſt.

Sed negamus docto homini interpretationem utriuſque axiomatis: contendimuſque utrumque tam eſſe conforme objecto externo, quam reliquæ primæ veritates. Nam utrumque axioma eſt perſpicuum, ex nullo clariori probatur, ab omnibus ſanæ mentis admittitur. Sunt igitur primæ veritates, non eo quidem ſenſu, ut exſiſtentiam præſentem objectorum neceſſario accuſent; ſed eo ſenſu, ut ex objectis externis profectæ ſint, & cum iis conſentiant, ac ſaltim exſiſtentiam præteritam demonſtrent.

Nos enim non habemus ideam *totius & partis, maioris & minoris, duorum & quatuor*, niſi per ſenſus. Quod qui negant, doceant, amabo, qua via ideas ejuſmodi habuere niſi per ſenſus: numquam, niſi fallor, docebunt. Nam quis neſcit, ſuum corpus maius eſſe ſua manu? quis ignorat, manum eſſe corporis partem? quis item neſcit, duos digitos unius manus eſſe numero pares duobus digitis alterius: omneſque quatuor facere? Hæc vel cum lacte homines addiſcunt: cumque poſtea nomina *totius*

tius & *partis*, *maioris* & *minoris*, *duorum* & *quatuor* cognoverint, propoſitiones illas generales formant, quæ ideo veræ ſunt, quia ab ipſa evidentia objecti externi proficiſcuntur, & cum eo conſentiunt. Tolle ſenſus externos, profecto numquam tales ideas elicies. Non enim illi, qui ab incunabulis [1] viſu caruere, aliquod non dico problema, aut theorema Mathematicum, ſed ne axioma quidem ullum excogitare potuere, tametſi auditu plurimum valuere.

Deinde tale judicium, *duo & duo ſunt quatuor*, tam eſt conforme objecto externo, quam illud aliud, quod Buffierius admittit, *ſunt alii homines præter me*. Qui enim iſtud illo vel evidentius eſt, vel magis ab omnibus admiſſum? Interroga ſingulos homines, an hoc ultimum clarius & certius illo ſit, & plane cognoſces, utrumque eadem certitudine ab omnibus amplexari. Interroga rurſum, *an quatuor ſit reapſe quantitas maior quam duo*: eodem modo reſpondentes audies, *eſſe maiorem*. Quid amplius quærimus ut dicamus, utrumque ſenſu communi haberi, eſſeque primam veritatem?

Quid? quod homines, cum proferunt ejuſmodi propoſitiones, non de vocabulis, aut ideis loquuntur, ſed de rebus per eas ſignificatis. Neque enim cum primum axioma proferunt, ſignificare hoc volunt:

[1] *Aliquot problemata, aut theoremata Geometrica faciliora, ſi figuræ ligneæ, v. g. fiant, tactu cognoſci poſſe, non nego: ſed quam inperfecta ſit talis notitia, facile intelligi poteſt. Nam quod aiunt,*

ſunt: *idea duorum bis ſumta vocatur quatuor*: ſed illud intelligunt: *duo & duo objecta, quæ vel video, vel vidi, conſtituunt vel numerum, vel quantitatem maiorem, quam duo tantum*: quam maiorem quantitatem ſignificamus vocabulo *quatuor*.

Id ipſum de reliquis axiomatis eſt dicendum. Nam ideo enuntio *totum eſſe maius ſua parte*, quia oculis hauſi, *quantitatem maiorem continere minorem, non contra*. Similiter ideo mihi perſuadeo, *impoſſibile eſſe ut eadem res ſimul ſit, & non ſit*, quia, cum oculis acceperim, *rem, quæ exſiſtit, exſiſtere, nec umquam dum exſiſtit non exſiſtere*; iccirco cum id ipſum in memoriam revoco, conſideroque, tale quid neceſſario evenire debere; facio judicium, quod eſt omnino conforme objecto externo, etiamſi objecto cuicumque interno, ut ſunt ideæ, judicia, ceteraque, aptari poſſit. Itaque certum eſt ejuſmodi axiomata Metaphyſica veritates etiam ex-

aiunt, Didymum Alexandrinum a puero cæcum in Geometria excelluiſſe, ut inter cæcos concedo. Sed quales progreſſus in Geometria facere potuerit cæcus homo, & qui numquam figuras Mathematicas vidiſſet, judicent ii, qui in hac ſcientia verſati ſunt: mihi ſane non ſit veriſimile. Merito igitur viri docti rident Jacobum Bernoullium, hominem ceteroqui in Mathematicis doctiſſimum, qui cæcos Mathematicam docere voluit, libro Gallice inſcripto: Lettre contenant la maniere d'apprendre les Mathematiques aux aveugles: *quæ exſtat in celebri illa Ephemeride inſcripta*, Journal des Savans 1685. die 19. Novembr. *In qua bonus Bernoullius ſe aliquando dormitaſſe, viris emunctæ naris oſtendit*.

externas demonſtrare: ideoque pro primis veritatibus habenda eſſe: quamvis talia axiomata condi poſſint, quæ ſint tantum veritates internæ. [1]

Quod idem de veritatibus Mathematicis dicendum eſſe videtur. Nam etiamſi *linea*, *ſuperficies*, *trigonum*, *& globus*, ut ea conſiderant Mathematici, nulla ſint, nec fortaſſe fuerint; tamen cum ex rebus corporeis hæ ideæ complexæ ſumtæ ſint; atque, quæ de iis diſputant Mathematici, corporibus ipſis reapſe conveniant; propterea veritates Mathematicæ non ſunt tantum veritates internæ, ſed etiam externæ, quæ proprietates figurarum, ac magnitudinum, quæ in hoc mundo exſiſtunt, reapſe demonſtrant. Secus Mathematica ipſa eſſet cumulus ſomniorum, & rerum inanium ac inutilium, quæ Phyſicæ diſciplinæ opitulari non poſſent; quod profecto falſum eſt; cum videamus ex Mathematica diſciplina, quam *ſimplicem* vocant, non modo reliquas ejuſdem partes, quam vocant *Mathematicam mixtam*, ſed etiam eam, quam nominant *Phyſicam*, adeo illuſtrari, ut ſine Mathematicæ auxilio muta, & cæca ſit.

Nam quod ait Cl. Buffiérius, primum illud axioma eſſe verum, *etiamſi nihil in Mundo eſſet præter unam intelligentiam*, falſum eſt, ſi hoc vult dicere: *eſſe verum etiamſi nulla umquam res creata exſtiterit præter unicam intelligentiam*. Nam tali caſu ſingularis illa intelligentia ideas *duorum*, & *quatuor* non habuiſſet. Quod ſi hoc modo ſignificare vult: *etiamſi omnes res in præſentia deſtruantur*,

[1]. *v.g.* totum eſt æquale omnibus ſuis partibus &c.

tur, relicta una intelligentia; adhuc axioma verum eſſe, non abnuo: ſed ex hoc non ſequitur, prædictum axioma in hoc rerum ſtatu non eſſe veritatem externam. Nam poſita rerum omnium deſtructione, adhuc notiones omnes, quæ ſenſibus comparantur, veræ eſſent: quia cum tales ideæ ex corporibus externis profectæ fuerint, ad tempus referebantur, in quo corpora exſiſtebant: ideoque judicia vera eſſent. Quod ipſum de illo judicio, *ſunt alii homines præter me*, quod ille primam veritatem eſſe ait, eo caſu dicendum eſſet.

At enim, urgebit, hæc judicia non faciunt, ut objecta exſiſtant. Fateor: ſed nec judicia hæc, *corpus album non eſt atrum*, *Babylon non eſt Ninive*, ceteraque generis ejuſmodi faciunt, ut objecta reapſe exſiſtant. Tamen ſunt veritates externæ, hoc nomine, quod ex ipſis rebus externis proficiſcuntur, & cum ipſis conveniunt. Igitur & illa. [1] *Ex*

[1] *Ratio Lockii loco laudato, & rurſum cap. xi. §. 1. non efficit, quod vult Cl. Buffierius. Probat quidem ideam, quam habeo rei externæ, non inferre rei exſiſtentiam: ſed non probat, ejuſmodi ideam a corpore externo non eſſe profectam. Nam, ut eodem exemplo Lockii utar, imago Petri ex vero expreſſa non probat Petrum exſiſtere; probat tamen, Petrum exſtitiſſe. Ergo etiam idea rei externæ, quæ ſenſus in præſenti non pulſat, probat ſaltim exſiſtentiam præteritam. Hoc magis, quod Lockius ibi §. 11. probat exſiſtentiam rerum præteritarum auxilio* memoriæ. *Et niſi primum locum Lockii ex his duobus ultimis expoſuerimus, haud ſcio an ipſe ſibi conſtet.*

Scholion

Ex iis , quæ capite III. *&* IIII. *bujus libri diximus de* rerum evidentia, *plane conſequitur*, *nos plurimas veritates &* ſenſibus externis, *&* aliorum teſtimonio *comparare* : *nam quæ* recta ratione *conſtant*, *ex iis* , *quæ per ſenſus accepimus* [*ad hanc claſſem pertinet* hominum teſtimonium, *quod vel viſu* , *vel auditu habetur*] *proficiſcuntur* . *Quare de iis hoc loco iterum diſputandum* , *non ut efficiamus tantum*, *veritatem tali præſidio adtingi poſſe* , *quod ſupra demonſtravimus* ; *ſed ut patefaciamus* , quo caſu primas veritates ſenſuum præſidio venari poſſimus.

Caput VI.

Demonſtratur primas veritates aliquas ſenſibus *percipi poſſe*.

Corporum exſiſtentiam ſenſibus externis percipi evidens eſt, idque nos ſupra cum argumenta Scepticorum diluiſſemus, planum fecimus, & rationibus confirmavimus. Examinandum nunc eſt, an ſemper verum ipſi oſtendant, an aliter : & an tales cognitiones gignant, quæ *primæ veritates* vocari poſſint.

1. Principio certum eſt, ſenſus externos non exhibere figuram inſenſilem & externam corporum : id eſt non oſtendere, qualis ſit textura illa ſuperficiei corporum, ex qua unum corpus album, alterum viride, alterum atrum apparet. 2. Nec etiam

etiam exhibent contextum, & complexionem interiorem particularum corporis, quæ diverſas naturas facit: id eſt, ex qua oritur quod tametſi omnium corporum materia eſt ſimilis naturæ, tamen aliud corpus eſt ferrum, aliud lignum, aliud caro. 3. Nec itidem oſtendunt interiores mutationes, quæ in corporibus pleriſque eveniunt. e. g. Pomum indeſinenter alio & alio modo ſe habet, donec tandem flaceſcat & corrumpatur: hæ tamen inſenſiles mutationes nullo ſenſu externo percipi poſſunt, niſi ex longo intervallo. 4. Poſtremo non repræſentant innumeram illam rerum etiam animatarum multitudinem, quæ oculorum aciem fugiunt: quod microſcopio demonſtratur, cujus ope ea videmus, quæ numquam ſuſpicati fuiſſemus: [1] & quo perfectiora ſunt microſcopia, eo plura, & diſtinctius videmus. Facile ut ſuſpicemur, fore aliquando ut talia microſcopia fiant, quæ multo plura oculis exponant.

Hinc fit manifeſtum, ſenſus a Deo datos non fuiſſe ut nobis inſenſilia iſta, & minuta, & quæ ad uſum vitæ minime pertinent, oſtendant: ſecus omnes, aut plerique omnes eadem viderent, quod profecto eſt falſum. Cui uſui igitur ſunt ſenſus noſtri? dicam cum Malebranchio, Lockio, ceteriſque, ſenſuum munus eſſe, ea nobis oſtendere, quæ ad

[1] *Conſule Leeuwenhoeckii* Arcana Naturæ ope microſcopiorum detecta. *Volum. III.* 4. *Philippi Bonani* Obſervationes circa Viventia, quæ in non viventibus reperiuntur. 4. 1691. *& ceteros, qui hiſtoriam Naturalem perſequuntur.*

ad uſum vitæ neceſſaria ſunt: id eſt ad corpus tuendum, curandumque, atque ad ſocietatem humanam conſervandam idonea videantur. Ad quod cum ſupervacanea ſit cognitio illa naturæ abſtruſioris corporum, iccirco data ea nobis non eſt. Sed hæc ulterius inluſtremus.

I. Itaque ſenſus nobis primo oſtendunt clare & evidenter *exſiſtentiam corporum*: id enim ad omnes uſus vitæ per quam neceſſarium eſt. Nam ſi corpora eſſe non cognoſceremus, facile in ea incurreremus, ut cæci plerumque faciunt, & maximum damnum faceremus. Deinde nihil umquam facere in hac vita poſſemus. Non enim nos Deus meros ſpiritus, ſed corpore & ſpiritu conſtantes condidit, in orbe terræ collocavit, corpora nobis plura objecit, ut iis ſcite uteremur, ex eorumque uſu utilitatem non pœnitendam caperemus.

II. Deinde nobis exponunt omnino evidenter *proprietates eas corporum, quæ ad vitam noſtram conſervandam neceſſariæ ſunt*. Nempe oſtendunt differentiam rerum durarum ab humoribus: humorum etiam inter ſe, nempe aquæ a vino, ab oleo, & aliis generis ejuſdem. Hæc enim ab aliis diſtinguere tam neceſſarium eſt curationi corporis, ut nihil magis. Et, quod mirabilius, quo plus aliquod corpus nutritioni, & uſui noſtro neceſſarium eſt, eo pluribus ſenſibus ejus cognitionem adquirere poſſumus. e. g. Panis, & aqua ſumme neceſſaria ſunt conſervationi corporis noſtri: utrumque autem non viſu tantum, ſed olfatu, ſed guſtatu, ſed tactu percipimus, ex quo facilius dignoſci poſſint. Idem de ceteris dicemus, quæ ad reficiendas vires corporis, ipſumque defendendum a vi aeris;

aeris; ceterorumque, quæ corpori officiunt, neceſſaria eſſe videntur. Ideoque clare etiam repræſentant, eſſe diem, eſſe noctem, cælum eſſe pluvium: item an Boreas, an Auſter increbreſcat, an Zephyrus faveat, & ſexcenta hujuſmodi.

III. Poſtremo oſtendunt etiam omnino clare, *quæ ad humanam ſocietatem ſervandam neceſſaria ſunt*. e. g. Secernunt quam facillime ex voce, vultu, ceteris Petrum a Paullo, patrem a filio: tum motus animi, qui vel vultu, vel aliis modis declarantur, clariſſime demonſtrant, & ejus generis alia, ſine quorum notitia humana ſocietas ſtare non poteſt.

Contra ea, quæ conſervationi corporis noſtri minime neceſſarium eſt ſcire, ſenſus noſtri non oſtendunt: quod ſi aliqua de cauſſa oſtendunt, ſupervacue ſe habet, nec id ſemper, ſed tum evenit, cum curioſius eas res inveſtigamus, quæ ad nos minime pertinent. e. g. Lac, acetum, aquam, immo & omnia poma maturata infinitam vim vermium tenuiſſimorum exiliſſimorumque continere, certum eſt, & microſcopio exploratum. [1] Verum cum horum notitia, ut iis reficiamur, neceſſaria non ſit, iccirco eos nulli microſcopio non adjuti oculis hauriunt. Quod ſi viſu aliquando percipiunt, præter opinionem eſt, nec ad uſum, ad quem eæ res conditæ ſunt, ullo modo eſt neceſſarium.

Id ipſum dicemus de iis, quæ ad ſocietatem humanam vel inſtituendam, vel conſervandam inop-
por-

[1] *Adiſis Leeuwenoeckium, Hookium, Hartſoekerum, Jobelotum, ceteroſque.*

portuna videntur. e. g. Senſus non oſtendunt clare internam differentiam Petri, & Paulli: nec etiam individualem, uti vocant, nempe cur Petrus non ſit Paullus, & reliqua hujus generis.

Quærat aliquis 1. an ſenſus externi omnia repræſentent, quæ ad nutriendum corpus utilia ſunt. 2. an item omnia, quæ ad id ſanandum pertinent. 3. an præter illa tria, quæ poſuimus, nullum verum menti objiciant. Cui quæſtioni ita reſpondemus.

Ad primam dicimus, ea, quæ nutritioni apta ſunt, omnia ſenſibus externis percipi: non enim inſenſilibus, ſed rebus ſenſibus ſubjectis alimur. Non tamen omnia, quæ reficere nos poſſunt, uno intuitu cognita habemus: nec ad vitam producendam neceſſarium id eſt. Sufficit ſi ea, quæ in omni vitæ parte magis neceſſaria ſunt, & noſcamus, & ſenſibus percipiamus: cetera uſu & experientia edocti dilucide ſenſibus percipere poſſimus.

Eodem modo ad ſecundam interrogationem reſpondemus. Nam quædam, quæ magis ex uſu ſunt, v. g. corpus frigore debilitatum, calore, & pannis calefacere; ſtomachi repletionem inedia curare; faucium ſiccitatem humore hauſto depellere; & hujus generis alia, omnes cognoſcunt: cetera vero non niſi uſu, meditatione, & bona Philoſophia, ac Medicina explorari poſſunt. Quidquid tamen cognitum habemus, id ſenſus externi nobis clare & diſtincte oſtendunt, ſi ratione adjuventur.

Ad tertiam eadem eſt reſponſio. Plurima alia vera ſenſus externi inſtrumentorum beneficio reperiunt & cognoſcunt: multo plura cognoſcere poſſunt certo, & evidenter. Ne tamen in iis inveſtigan-

gandis erremus, regulæ quædam præ oculis habendæ ſunt, ad quas inveſtigationem noſtram exigamus: quæ & oſtendunt, ſenſus interdum falſos eſſe: [1] &, ſi debito modo adhibeantur, multo plura vera oculis oſtendere poſſe, quam ſuſpicamur. De quibus legibus quoniam in Logica diſputavimus, [2] tironem ad eum locum remittimus.

Concludendum eſt igitur, tria illa clare & diſtincte ſenſibus externis percipi: primo *exſiſtentiam corporum*: tum *proprietates, quæ ad corpus noſtrum curandum neceſſariæ ſunt*: poſtremo, *quæ ad ſocietatem humanam ſervandam, & inſtituendam ſunt neceſſaria*. Hoc ſatis in ſuperioribus confectum eſt. Unum addo, hæc tria pro *primis veritatibus* haberi poſſe, propterea quia ex nullis veritatibus prioribus deducuntur: multa ex iis duci poſſunt, qui character eſt primarum veritatum.

---

[1] *Haud recte hoc loco ait Cl.Buffierius* [Traité des Premieres Veritez Part. 1. c. 16.] ſenſus fideliter repræſentare, quod ipſis videtur. *Non enim ipſis, ſed menti noſtræ tale quid videtur. Dicere deberet*, ſenſus fideliter objicere menti adfectionem, quam recipiunt: ſecundum quam ſi temere judicamus, interdum decipimur.

[2] *Logicæ Libro IIII. part.* 1. *cap.* 4. *de erroribus ex ſenſibus provenientibus diſputavimus. Capite vero* 7. *docuimus, quo modo periculum facere debeamus, ne inveſtigantes erremus. Horum ſumma eſt*: 1. ut res accurate & debito modo expendatur. 2. ut ſemper tale quid idem ſenſus repræſentet. 3. ut alii ſenſus non contradicant. 4. ut id ceteri homines oculati verum eſſe confirment.

CAPUT VII.

Oſtenditur primas veritates aliquas etiam aliorum auctoritate *cognitas haberi.*

NON de auctoritate Divina hoc loco eſt diſputatio, quæ tanta homini, qui juſtam Dei habeat notionem, eſſe debet, ut ſi certo conſtet, Deum aliquid dixiſſe, id pro certo & indeficienti haberi debeat. Sed de Humana auctoritate ac teſtimonio diſputandum, conſiderandumque quantum illud primis veritatibus adferat momenti.

Et certe quidem tametſi ſinguli homines fallere poſſunt, tamen cum omnes, aut fere omnes aliquid ſummo conſenſu teſtantur, tam certam rem faciunt, ut nemo ſanæ mentis ejuſmodi teſtimonio repugnare queat. Nec longe repetenda eſt ratio. Nam cum tam varii ſint hominum mores, tam varia ingenia, tanta in judicando varietas, ut non dico decem, ſed vix duos in una & populoſiſſima civitate ſemper & eodem modo judicantes invenire poſſimus; relinquitur fieri non poſſe ut omnes in fallendo conveniant. Quare ſi aliquid conſtanter docent, non alia de cauſſa faciunt, niſi moti rei evidentia ac veritate. Proinde quod omnes conſtanter aiunt, verum id eſſe neceſſe eſt.

Itaque conſtans hominum teſtimonium eſt ſignum, ſeu indicium, ſeu criterium veritatis: ex eoque plurimæ primæ veritates deſumi poſſunt, modo adſint circunſtantiæ aliquæ, quæ rem extra omnem dubitandi rationem ponant, id eſt certam, & perſpicuam faciant. Hæc vero ad tria genera reduci

duci poſſunt. 1. *Ut de talibus rebus ſit ſermo, de quibus ſinguli homines judicare poſſunt*: ut ſunt res, quæ exſiſtunt, &, ut vulgo dicitur, res *facti*: [1] v. g. eſſe Conſtantinopolim, Goam, & ejus generis alia, de quibus tam docti, quam indocti eodem modo dijudicare apti ſunt. 2. *Ut tanto in numero ſint teſtes, ut maior requiri non poſſit ut aliquid pro comperto & explorato habeatur*. Nam, ut paullo ante

[1] *Teſtimonium hominum vel reſpicit res eas, quæ exſiſtunt, & per ſenſus adquiruntur, quas vulgo vocant res* facti; *vel res, quæ non ſenſibus, ſed* ratione *percipiuntur: cujuſmodi eſt exſiſtentia, & operationes intelligentiarum, quæ corporis expertes ſunt, ut Angeli boni, & mali: itemque res corporeæ, quas vel propter diſtantiam, ut ea, quæ in aſtris, vel propter exilitatem ſuam ſenſibus adtingere, ac diſcernere non poſſumus. De rebus* facti *hoc loco eſt diſputatio, quæ ſolæ hominum teſtimonio probari poſſunt.*

Hæ vero in triplici ſunt differentia. Vel enim hominum teſtimonium omnino conſentit cum iis, quæ fere ſemper experti ſumus; & tali caſu judicium etiam firmum elicit, quamvis non eo gradu, quo ſupra diximus. Vel teſtimonium eſt de re, quæ fieri poteſt, vel non fieri; & ſi ab hominibus fide dignis proficiſcitur, conſenſum itidem firmum generat. Vel denique de rebus eſt ſermo, quæ vel experientiæ adverſantur, vel in eo auctores alii aliis contradicunt; & hoc caſu ſecundum variam naturam argumentorum, alium & alium judicium facere debemus. Videſis Lockium de Intellectu Humano L.IIII, cap. 16.

ante diximus, non eſt neceſſe ut omnes homines ſingulatim audiamus: tum quod non omnes eaſdem res inveſtigarunt; tum quod ad id, quod quærimus, tale quid inopportunum videtur. Sufficit ſi pleroſque, qui id cognitum habent, in eamdem ſententiam diſputantes cognoſcamus: qui ſi conſentiunt, quis ſanus tali teſtimonio repugnare audebit? 3. *Ut nulla ratio ſe offerat cur judicemus, illos vel odio, vel amore, vel ſpe, vel alia de cauſſa mentiri voluiſſe*. Quæ tria ſi concurrunt, nullus niſi ſtultus eorumdem teſtimonio repugnabit. [1]

Sunt aliqui Philoſophi, qui longo ſermone diſputant, an adſenſio, quæ ex communi hominum conſenſu in ejuſmodi rebus proficiſcitur, vocari debeat *probabilitas ſumma*, an *certitudo*, id eſt firma opinio: & miror Cl. Buffierium, qui nullam occaſionem prætermittit reprehendendi Lockium, etiam in rebus leviſſimis, cui tamen quantum debeat, omnes, qui utriuſque ſcripta legerunt, exploratum habent; litem ei de hoc negotio intentare, contendereque, *tam certum eſſe exſtitiſſe Carthaginem, quam certum erat, ſe cubiculum, in qua ſcribebat, videre*. Nam primum negare nequit Cl. Buffierius, hanc propoſitionem: *fieri poteſt ut plurimi homines fallant, & fallantur*, etiamſi naturæ vires ſpectemus

[1] *Logicæ L. IIII. part. 2. cap. 2. 3. & 5. ubi de* probabilitate hiſtorica, & hermeneutica, *expoſuimus, quæ neceſſaria ſunt, ut in credendo, quæ alii narrant, non fallamur: quæ omnia tum rebus, quæ* ſcripto, *tum iis, quæ* voce *conſtant, accommodari poſſunt*.

mus, nullam præ ſe ferre contradictionem, ideoque rem eſſe poſſibilem. Contra vero naturæ legibus fieri non poteſt, ut homo mentis compos fallatur putans, ſe chartam manu tenere, quam non habet. Propterea que recte Lockius duas illas ſententias duobus nominibus ſignificavit.

Deinde, etiamſi eidem demus, utramque eadem certitudine reapſe gaudere, tamen cum diverſo modo nos cogant, multoque altius & vividius in animo defigatur, *me in præſentia ſcribere in hac charta*, quam defigitur dum lego, *exſtitiſſe Carthaginem*; commode duobus nominibus duplex illa opinio diſtinguitur.

Et, ut verum fatear, niſi nomina accurate definiverimus, tota hæc controverſia de vocabulo eſſe videbitur, quod nec ipſe Cl. Buffierius diffitetur. Verum ſi rei naturam, uti par eſt, conſideramus, reperiemus ab ipſa rei varietate ejuſmodi controverſiam exſiſtere. Quare commode, atque ad rem valde accommodate rem totam explicatum iri puto, ſi tres ordines certitudinis conſtituerimus: Altera eſt certitudo *Metaphyſica*, quam habent axiomata Metaphyſica, & Mathematica, quæ ita ſunt vera, ut nullo modo falſa eſſe poſſint. Altera *Phyſica*, quam habent res cognitæ per ſenſus, quæ ita veræ ſunt, ut nullis naturalium rerum viribus falſæ eſſe poſſint: tametſi ſi ſummam Dei potentiam conſideramus, alio modo eſſe poſſunt: ut ſe offert in Euchariſtia, quæ panis videtur, panis tamen non eſt. Tertia *Moralis*, quæ ita vera eſt, ut etiamſi vix aut ne vix quidem falſa eſſe poſſit, tamen, ſi rei naturam examinamus, nulla contradictio ſe offerat, nullum miraculum a Deo factum eſſe putemus, ſi falſa exſti-

exſtiterit. Quod, ut clarius cognoſcatur, eodem, quo ille uſus eſt, exemplo rem inluſtrabimus.

E. g. ſi ſinguli homines falſi eſſe poſſunt, cur non omnes, qui aliquid fuiſſe teſtantur? ſaltim cur non illi, qui teſtantur fuiſſe Carthaginem? Si numerum Veterum inimus, qui de Carthagine memoriæ produnt, non multos eſſe reperiemus. Eorum, qui ea urbe ſtante ſcripſerunt, habemus Ariſtotelem, & Polybium, plurimum Thucydidem, & Plautum: [1] ut alios omittamus, qui a poſterioribus citati reperiuntur, veluti Fabium, & Philinum a Po-

[1] *Addunt aliqui* inſcriptionem Columnæ Roſtratæ C. Duilii, *quæ ipſi ob triumphum de Siculis, & Pœnorum claſſe in foro Romano poſita erat, ut ait Plinius, & Quinctilianus, & quæ etiam nunc Romæ exſtat in Capitolio.* „ *Verum ſit ea ipſa* [ait „ Ciaconius vir Antiquitatis peritiſſimus] *quam* „ *Plinius, Quinctilianuſque viderunt, non facile* „ *dixerim: certe antiqua illa, quæ ipſius Duilii* „ *ætate, hoc eſt quingenteſimo fere P. R. C. anno* „ *collocata fuit, non eſſe videtur: nam & litteræ* „ *elegantiores ſunt, quam ut illo rudi harum ar-* „ *tium ſæculo inciſæ videri poſſint; & ſcribendi* „ *ratio, qua illa ætate Romani utebantur, non* „ *adamuſſin in ea ſervata reperitur.* „ Ciaconius *in Column. Roſtr. inſcript. explicatio, apud Græ-vium* Antiq. Roman. Tomo IIII. pag. 1811. *Adeo ut veriſimilius videatur, poſt C. Cæſarem, immo poſt Quinctilianum ipſum reſtitutam fuiſſe talem baſim, eamque eſſe, quæ nunc Romæ videtur. Recte ut judicemus, ex ea nullum pro exſiſtentia Carthaginis argu-*

Polybio; Clitomachum, itemque Nævium, & Ennium a Cicerone; Menandrum a Joſepho &c. Tum Auguſtæo ævo offendimus Ciceronem, Salluſtium, Nepotem, Virgilium, Horatium, Livium, Diodorum Siculum, Strabonem. Poſt Auguſti ævum ſe offerunt Paterculus, Mela, Curtius, Plinius Senior, Flavius Joſephus, Florus, Plutarchus, Juſtinus Hiſtoricus, Appianus Alexandrinus, Tertullianus, Dio Caſſius, Herodianus, Ptolemæus, Solinus, Euſebius, Themiſtius, Oroſius, Eutropius, Procopius, alii. Fac eſſe XXXX. auctores, fac eſſe L. qui exſtent. Num L. homines falli, aut mentiri non poſsunt? Sed, his omiſſis, num omnes, de quibus loquimur, eadem auctoritate cenſendi ſunt? num omnes eam viderunt? minime vero: nam ſi Polybium [tres enim reliquos in Africa fuiſse non conſtat, immo veriſimilius eſt numquam ibi fuiſse] ſe-

---

argumentum duci poſſe. Eo magis, quod in ea non de Carthagine, ſed de Pœnis, & Carthaginienſibus, idque in Sicilia, mentio ſit: quod gentis nomen eſt, non urbis.

Idem de Faſtis Triumphalibus *dicendum eſſe videtur. Quorum antiquitatem etſi concedamus, qui tamen certæ antiquitatis non ſunt, & an ex aliis ſumti ſint non conſtat; tamen non efficiunt, quod volumus. Perpetuo enim loquuntur de Pœnis, numquam de Carthagine: v.g.* C. DVILIVS M. F. M. N. COS. PRIMVS. AN. CDXCIII. NAVALEM. DE. SICVL. ET. CLASSE POENICA EGIT. K. INTERKALAR. *id eſt, navalem victoriam, & triumphum.*

ſejungimus, [1] ceteri, qui Auguſtæo ævo ſcripſerunt, centum & eo amplius poſt Carthaginem deſtructam annis ſcripſerunt. Potuerunt illi quidem novam Carthaginem, coloniam illam Romanorum, quam Caius Cæſar [2] vel potius Auguſtus filius circa veterem Carthaginem exſtrui curavit, *devotiones diras urbis veteris cavens religioſe*, [3] quæque uſque ad VII. Chriſti ſæculum duravit, de qua vix rudera quædam exſtant, videre: ſed veterem Carthaginem, urbem illam celeberrimam, æmulam imperii, ac gloriæ Romanorum, profecto non viderunt. Multo minus eam viderunt illi, qui a I. uſque ad VI. Chriſti ſæculum, de quibus ſupra, ſcripſerunt. Igitur ad trium, vel quatuor hominum teſtimonium, qui ſtante Carthagine id ipſum litteris mandarunt, res tota reducitur: quorum tres, ut ante diximus, Carthagine fuerint, nec ne, incertum eſt prorſus: immo vero ibi non

 fuiſ-

[1] *Pleriqne omnes, qui ante Auguſti ævum ſcripſere, ſi unum & alterum excipias, de Pœnis, vel Carthaginienſibus loquuntur tantum veluti de gente quadam, & regno, vel provincia, non de urbe. Quod idem plurimi, quos ſupra nominavimus, & Auguſti ævo, & poſt fecere: qui proinde ad efficiendum id, quod neceſſarium videbatur, inopportuni videntur. Adeo in arctiorem ambitum reducendi videntur Hiſtorici prædicti.*

[2] *Strabo L.XVII. Plutarchus in* Vita Julii Cæſaris.

[3] φυλαξάμενος τῆς πάλαι τὸ ἐπάρατον. *Appianus in* Punicis Extrem.

fuiſſe, veriſimilius videtur. Quis igitur negare audebit, IIII. homines, præſertim, qui non cognita, ſed audita referunt, vel falli potuiſſe, vel fallere? [1]

Num

[1] *Quam ſæpe, & quam varie homines in rebus hiſtoricis falſi fuerint, etiam cum de rebus graviſſimis eſſet ſermo; quanto cum plauſu ejuſmodi errores, immo & mendacia ac fraudes fuerint exceptæ; quam diu duraverint; quot homines ceteroqui non ineptos tenuerint; tam bene exploratum eſt iis, qui hiſtoria & Eccleſiaſtica, & Civili exculti ſunt, ut nihil ſupra.*

1. *Primum aliquot libri adficti fuere ſanctis hominibus tum Veteris teſtamenti, ut Adamo, Enocho, Abrahamo, Eliæ, ceteris; tum Novi teſtamenti, ut Evangeliſtis, Apoſtolis, immo & Chriſto Jeſu; tum demum ſanctiſſimis viris in eccleſia Chriſti, Pontificibus Max. aliiſque viris doctis, præſertim primis ſæculis, tot libri adtributi ſunt vel a Chriſtianis, vel ab Hæreticis, vel ab Ethnicis, ut iniri numerus non poſſit: ut* Canones Apoſtolorum, *ut* Conſtitutiones Apoſtolicæ, *ut* Epiſtolæ aliquot Ignatii Martyris, *ut* Canones novem Antiochenæ ſynodi, *ut cetera nimis multa, quæ a nonnullis Eccleſiæ DD. aliquando pro veris habita, poſtea ſuppoſiticia cognita ſunt: ut in Hiſt. Eccleſ. paſſim ſe offert, & quæ diſtincte videri poſſunt apud Natalem Alex.* Hiſt. Eccleſ. primor. ſæcul. *Immo quot libri SS. Eccleſiæ PP. falſo adficti fuerint, eorum ſcripta opera Benidictin. Congregat. S. Mauri in Gallia edita & emendata declarant, quæ conſuli*

Num igitur omnes mentiuntur? minime vero, nam & ego Carthaginem fuiſſe defendo, quia plurimis argumentis id ipſum mihi videtur *moraliter* perſpicuum, & certum. Hoc ago, moralem ejuſmodi

ſuli poſſunt: ut mittam Grabium in Spicilegio Patrum, *Fabricium in* Codice Apocrypho Novi Teſtam. *& alios, qui ſcripta ſuppoſiticia collegerunt. Quid? Angelis ipſis tributi libri ab Judæis ferebantur, de quibus legi poteſt Cotelerius* ad Conſtitut. Apoſtolicas L. VI. c. 16. *Tanta fuit licentia mentiendi.*

2. *Deinde quot falſa etiam Libris, qui germani fetus erant certorum auctorum, fuerint admiſta, idque variis etiam de cauſſis, declarant iidem auctores, qui interpolata, & depravata ſcripta multa memorant.*

3. *Præterea eamdem fortunam expertos eſſe profanos libros adeo viris doctis certum eſt, ut non niſi bonarum litterarum rudes dubitare poſſint. Multa ex integro ſub alieno nomine apparebant, ut plauſum captarent: quod Socrati, & Ariſtoteli, ut alios præteream, eveniſſe, teſtis eſt nobilis auctor Diogenes Laertius L.II.* §.60. *& Ammonius* in Categorias: *immo pleraque Ariſtotelis ſcripta ſuppoſiticia eſſe, docet Patricius* Diſcuſſion. Peripatetic. Tomo I. l. 2. p. 39. *Quod idem de ſæculo ſuo dolet B. Auguſtinus* L. XXXIII. contra Fauſtum cap. 6. *Multa etiam fœde interpolata: ut quæritur Origines apud* Rufinum de Adulteratione Scriptor. Origen. *Quæ ſingula erudite de more perſequitur vir doctiſſimus*

modi evidentiam non facere, ut, ſi rei ipſius naturam conſideramus, fallere omnino non poſſit. Certe in hoc rerum ordine vix, aut nullo modo fallet: at poteſt, quod non habent res *phyſice evidens-*

ſimus Joannes Vowerius in Polymathia, *præſertim* cap. 16. ſeqq.

4. *Poſtremo ſi inluſtria Hiſtoriæ facta, quæ omnibus certiſſima putabantur, & poſtea falſa eſſe demonſtratum eſt, percenſere vellem, longum eſſet: unum tamen & alterum adducam. Deleto Sardanapali morte Veterum Aſſyriorum imperio, tria alia imperia inde exſtitiſſe, alterum Novorum Aſſyriorum a Nino juniori conditum, alterum Babyloniorum a Beleſio ſeu Nabonaſſare, tertium Medorum ab Arbace ſatrape regio Medorum, adeo exploratum videtur celebrioribus Chronologis, quaſi ſuis oculis cernerent. Veruntamen doctiſſimus Prideaux in* Hiſtor. Judæorum L.I. initio *plane conficit, non niſi duo imperia nata eſſe, Babyloniorum, & Aſſyriorum:* [*qui etiam Mediam obtinuere*] *eumdemque eſſe* Tiglat-Pileſer & Arbacem. *Tertium vero illud imperium Medorum ab his ſejunctum in ſomnia referri debere.*

Item hiſtoriam LXXII. interpretum veram eſſe, non ſolum veteres Judæi, & Chriſtiani pro certo habuere, ſed etiam in præſentia ſunt homines non inepti, qui id in dubium vocare nefas putent. Tamen ejuſmodi hiſtoriam, quam a Pſeudo-Ariſtea, & Pſeudo-Ariſtobulo Veteres hauſerunt, omnia falſitatis ſigna præ ſe ferre, doctiſſimi aliqui Recen-

dentes, quæ naturæ viribus mutari & aliter ſe habere non poſſunt. Verbo dicam: ſi aliquot Hiſtorici, qui aliquid litteris produnt, vel fallantur, vel fallant, miraculum nullum eſt, nec ad infinitam Dei

---

centiores luculentiſſime demonſtrarunt. Nec aliquid amplius ex Veterum teſtimonio efficitur, quam Ptolemæi Philadelphi tempore factam eſſe verſionem Græcam legis, cui poſtea ſub aliis Ptolemæis verſionem additam reliquorum librorum. Videſis Prideaux loco cit. Part.II. l. 19. pag. m. 330. ſeqq. & *Roncaglia ad Natal. Alex.* Hiſt. Eccleſ. Sæculi II. diſſert. 11. § unico.

Præterea συνέδριον *ſeu ſupremum conſilium Judæorum ex LXXI. ſenioribus compoſitum, a Moſis temporibus ad Chriſtum uſque duraſſe, penes quod eſſet ſumma reipublicæ, judiciumque de ſacris & profanis rebus, non modo veteres Judæi, & Thalmudiſtæ, ſed plerique omnes Recentiores, qui de Republica, vel Synedriis Judæorum ſcripſere, pro certo ponunt. Verum cum in Bibliis nuſquam, etiam cum maxime opus eſſet commemorare, de recurſu ad tale conſilium mentio fiat; ſed ad Judices Reges, Pontifices Maximos, uti Deus juſſerat;* [Deuteronom. c.XVII. v.8. *& ſæpe alibi*] *clare conficitur, nullum ejuſmodi conſilium exſtitiſſe, præterquam ad tempus ſuo Moſe in deſerto: quod tamen alio modo ſe habebat. Non niſi Herodis Magni, & Chriſti temporibus in Evangeliis, & Actibus Apoſtolorum, & poſt ad deſtructionem uſque Templi &c. de tali conſilio ſermo habetur: quod ita natum*

Dei potentiam confugere neceſſe habemus. Contra ſi leges naturæ fallant, miraculum agnoſcere & fateri debemus, idque Deo auctori tribuere. [1]

Hæc autem evidentia & certitudo vocatur *moralis*, quod ex ea hominum mores, actiones, ceteraque, quibus vitæ humanæ ratio continetur, proficiſcuntur, & gubernantur. Nam ea, quæ evidentia morali conſtant, ita certa hominibus videntur, ut ipſi non diſimili modo ex tali judicio vitam

---

tum eſſe videtur. P. Gabinius Proconſul Syriæ, fuſo fugatoque Alexandro, Ariſtobuli pontificis antea victi & exauctorati filio, atque Hircano patruo in ſacerdotium reſtituto, Judæam in v. *partes, teſte Joſepho, diviſit, ſingulisque ſingula conſilia adminiſtrandis rebus, præter animadverſionem mortis, dedit & conſtituit, Gadaris, Amathunte, Hiericunte, Sephoris Galilææ, & Hieroſolymis: quod ultimum illud eſt, in quo Chriſtus morte damnatus eſt. Hoc primum animadverſum Cl. Petavio* de Doctrina Temporum L.II. cap.27. *fuſius & accuratius expoſitum eſt a Jacquelotio* de l'Exiſtence de Dieu Differt.III. chap.2. *Hæc, ut mittam bellum Trojanum, quod Dio Chryſoſtomus, Hornius, aliique inter fabulas referunt; atque alia hujuſmodi miſſa faciam, ſatis demonſtrant, quam facile etiam in rebus ab omnibus admiſſis errores ſubeſſe, noſque falli poſſimus.*

[1] *Vera* evidentia Moralis *non in teſtimonio duorum, vel trium auctorum etiam oculatorum conſiſtit; ſed in teſtimonio vel omnium, vel fere omnium, qui rem viderunt, & quibuſcum verſamur, uti diximus ſupra.*

vitam ſuam inſtituant, quam ſi eam oculis cernerent, nec ullus ſupereſſet dubitandi locus. e. g. Cum certum moraliter ſit, exſtare Conſtantinopolim, qui aliquid negotii Conſtantinopoli habent, ac ad eam accedere debent, tam fidenter de illa metropoli loquuntur, & ſcribunt, atque ad eam viſendam ſe parant, & iter capeſſunt, quam ſi ſuis oculis eam vidiſſent. Cumque in hac vita pleraque ex aliorum teſtimonio habeamus, quæ ad vitam noſtram regendam neceſſaria ſunt, iccirco *moralis certitudo* magni uſus eſt in vita civili, ex eaque plurimæ primæ veritates deſumi poſſunt.

ALOY-

ALOYSII ANTONII VERNEII
EQUITIS TORQUATI, ARCHIDIACONI EBORENSIS

DE

RE METAPHYSICA

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBER QUARTUS

IN QUO

DE ALTERA ONTOLOGIAE PARTE, NEMPE DE GENERALIBUS PROPOSITIONIBUS, QUAE AD OMNES SCIENTIAS PERTINENT, DISSERITUR.

CAPUT I.

De partitione & conſilio hujus libri.

SUPERIORI libro de modo cognoſcendi primas veritates in ſingulis diſciplinis diſputavimus. Nunc de primis illis veritatibus, quæ ad omnia pertinent, quæ ſub noſtram conſiderationem cadunt, dicendum eſſe videtur.

Et quidem omnia, quæ noſtræ inveſtigationi ac diſputationi ſubjiciuntur, generalia quædam conſide-

ſideranti offerunt, quæ ſi recte cognoſcimus, multo facilius & clarius ſingulas partes, &, ut ita dicam, facies objecti, quod examinandum ſumimus, explorare poterimus; quo diſtinctius objectum ipſum cognoſcamus, id eſt verum in ſingulis rebus invenire poſſimus. Plurima autem de qualibet re quæri & inveſtigari poſſunt: ſed quæ non nihil diſputationis habent, hæc fere ſunt.

1. Omnis res, quæ ſub ſermonem cadit, vel eſt, vel non eſt: 2. vel habet hanc, vel aliam eſſentiam. 3. vel eſt ſubſtantia, vel modus ejus. 4. vel eſt finita, vel infinita. 5. vel poſſibilis, vel inpoſſibilis. 6. vel ſimplex, vel compoſita. 7. vel perfecta, vel inperfecta. 8. vel bona, vel mala. 9. vel ordine poſita, vel non. 10. vel pulcra, vel deformis. 11. vel neceſſaria, vel contingens. 12. vel naturalis, vel non naturalis. 13. vel multum durat, vel parum. 14. vel eſt cauſſa, vel effectus. 15. vel ad aliquem finem ordinatur, vel ſecus. Hæc aliaque ejus generis illico inveſtiganti ſe offerunt, & in omni diſputatione identidem occurrunt: ex eorumque cognitione non modo clarius rem quamque cognoſcimus, & ad interrogationes reſpondemus, verum etiam, quod mente concipimus, aliis explanare quimus. Igitur & omnia hæc definienda ſunt quam accuratiſſime: & ex eorum definitione aliqua axiomata ducenda ſunt, quæ nobis opitulentur ad veritatem in ſingulis argumentis inveniendam, inaneſque diſputationes fugiendas. Quod nos hoc libro eodem ordine efficiemus, quo eas ante enumeravimus.

Sed illud ante monemus, quidquid obſcuritatis, atque adeo diſputationis occurrit in iis, de qui-

quibus in ſcholis acriter diſputatur, ex hoc capite fere ſemper proficiſci, quod Philoſophi eadem vocabula certa ſignificatione non uſurpent; ſed modo uni vocabulo quamdam notionem ſupponant, modo aliam. Ex quo conſequitur, ut non intelligentes alteri quo ſenſu ea alteri uſurpent, temperare ſibi non poſſint, quin aliquid contra dicant, & ſine ullo fine altercentur. Quare optime conſultum iri puto tironum utilitati, ſi vocabula, ſemen omnium diſceptationum, accurate expoſuerimus, ut & ipſi plane ſua ſenſa declarent, & ceteros ſine labore intelligant, temperentque a protervis contentionibus, quæ tempus omne conſumunt magno & ingeniorum, & diſciplinarum omnium damno. [1]

[1] *Vehementer hoc loco diſputant Philoſophi, præſertim Leibniziani, & Wolfiani, de principio* Contradictionis, *&* Rationis ſufficientis. *Contradictionis principium eſt*: Idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe: *ſeu alio modo*: Unum & idem ens non poteſt conſtare proprietatibus inter ſe pugnantibus. *Rationis ſufficientis eſt*: Nulla res eſt reapſe ſine ratione ſufficienti cur potius ſit, quam non ſit.

*Sed nihil, mea ſententia, ejuſmodi decertatione eſt inutilius. Nam omnes philoſophi Dogmatici ante Leibnizium, & Wolfium primum axioma admiſerunt: propterea quod & perſpicuum eſt, & utile interdum ad confutandum eos, qui fervore diſputationis abrepti ea negant, quæ ante conceſſerunt. Immo ne Sceptici quidem ipſi id negarunt: ut habemus ex Laertio L.VIIII.ſ.*105.106. *& Empyrico* Pyrr. Hyp.*L.I. ſ.*62. *Porro ejuſmodi axioma expreſſe poſi-*

Caput II.

De ente, & non ente.

I.

Res, & *Ens* Philoſophis Latine loquentibus ſunt vocabula homonyma. *Ens* definitur vulgo, *id quod eſt, ſeu exſiſtit*. Sed hæc definitio nihil amplius, nec clarius exponit, quam nomen *ens*. Quare non niſi iis probari poterit, qui amant ea pluri-

poſitum non eſſe principium omnis cognitionis, luculenter efficit Lockius, oſtendens plerosque homines recte judicare, quin de tali axiomate umquam audierint. Quamquam fatendum eſt, eos ideo recte judicare, quia omnibus perſpicuum eſt, ſingulas res, quæ ſunt, eſſe: *&, ſi animum adverterint, intelligent etiam*, falſum eſſe quod ſimul ſint, & non ſint. *Quo autem ſenſu tale axioma dici poſſit prima veritas, ſupra expoſuimus.*

Item Ratio ſufficiens *in rebus neceſſariis vetus eſt axioma omnium Philoſophorum, qui conſtanter aiunt*, nullum effectum ſine cauſſa, *id eſt*, ſine ratione cur ſit, exſiſtere: *ſeu alio modo*: poſita cauſſa ſuo modo neceſſaria, poni effectum. *Etiam in rebus liberis, nempe determinationibus voluntatis creatæ, ſæpe ratio ſufficiens locum habet. Quis enim ignorat mentem noſtram finem ſibi ponere bonum vel vere exſiſtens, vel apparens: atque ad id conſequendum adjumenta ſeu media utiliora eligere? Sed Leibniziani efficere vo-*

pluribus exponere, quæ uno vocabulo æque clare explicare poſſent. Quod vitium tam frequens eſt quorumdam Philoſophorum, ut nullum magis, ut hoc libro demonſtrabimus: quapropter ſedulo cavendum eſt.

Philoſophi tamen nomen *ens* latius accipiunt, eoque etiam denotant id, quod non exſiſtit in præſentia, ſed exſiſtere poteſt: id eſt, vel eſt futurum, vel poſſibile: quaſi dicant, habere exſiſtentiam vel futuram, vel poſſibilem, ideoque adverſari nihilo. Quare idea *entis*, & idea rei *poſitivæ* idem ſignificant.

re volunt [*is eſt eorum ſcopus*] *etiam in cauſſis liberis perpetuo valere, idque adeo, ut evenire nullo modo poſſit, ut ex pluribus mediis æque aptis ad finem, poſſit voluntas noſtra unum pro lubitu eligere, & ſibi eſſe ratio ſufficiens ſuæ electionis. Immo vero etiam de Deo fere eodem modo diſputant, ut ſic viam ſternant ad ſuam illam* harmoniam Præſtabilitam, *qua explicari putant complexionem animi & corporis. Hæc tamen negant alii, & contendunt, in rebus liberis nullam neceſſitatem antecedentem eſſe, ex qua ſequatur effectus; ſed unicam cauſſam eſſe libertatem vel finitam, vel infinitam: tum perſpicue conficiunt,* Harmoniam *illam Fataliſmo, Idealiſmo, aliiſque erroribus aperte favere. Sed de his in* Pſychologia *diſputabimus. Videatur Moniglia* Diſſert. contro i Fataliſti Part.I. ſez.3. *& Voltairius* Metaphyſ. de Newton. chap.4. *Quibus addi poteſt Clarckius in* Epiſtolis ad Leibnizium, *qui oſtendit, tale principium omnino opponi libertati divinæ.*

II.

Non ens eſt idem ac *nibil*, & clarius explicari non poteſt. Cum autem dicimus *nibil*, non intelligimus *merum nibil*, quia hoc non poteſt eſſe objectum alicujus ideæ poſitivæ, ſed aliquid exſiſtens & poſitivum intelligimus. Itaque audito eo vocabulo, duæ ideæ menti obverſantur: altera eſt idea vocabuli *nibil*, quod vocabulum eſt aliquod ens: altera ſeparationis omnis omnino entis ab idea vocabuli *nibil*, quæ ſeparatio eſt etiam ens.

E.g. Cum dico *Hircocervus eſt nibil*, habeo ideam vocabuli *Hircocervus*, & aliam ideam, qua ſeparo ab Hircocervo ideas omnium omnino entium; quæ ſunt, quæ eſſe poſſunt. Hæc autem ſeparatio non eſt *merum nibil*, ſed eſt judicium, quo ſeparo ideam entis ab idea illius vocis: & idem valet ac ſi dicerem: *hoc vocabulum* Hircocervus *nullum ens ſignificat, ſed eſt vocabulum inane, quod non niſi ſe ipſum ſignificat*. Quare non idem apud Philoſophos ſignificat, *intelligere nibil*, ac *nibil intelligere*. Illa ſignificat, nos *non ens* eò módo intelligere, quo a mente humana intelligi poteſt: hæc ſignificat, nos *nullam omnino rem intelligere*, ſeu nullam ideam, nullam notionem in præſentia habere: quæ duo longiſſime diſtant.

Hæc eſt germana interpretatio vocum *negativarum*, quæ nihil aliud ſignificant, quam ſejunctionem unius ideæ poſitivæ ab alia. Quod non intelligentes Philoſophi nimis multi, ſibi perſuadent, habere ſe ideam *meri nibil*: ideoque alios obtundunt diſputationibus inanibus, quæ nihil aliud ſunt, quam,

quam *logomachiæ*,ſeu decertationes de verbis. Quare cum nullum vocabulum in diſputationibus frequentius ſe offerat, quam *nihil*; nullum ex quo acriores decertationes naſcantur; aliquibus exemplis muniendi videntur tirones, ne in tales logomachias incidant, ſed recte vocabula interpretari diſcant:hoc magis quod vocabulum *nihil*,& omnia vocabula *negativa* alio & alio modo non ſolum in ſcholis, ſed etiam in vita civili accipi ſolent, ex quo mira confuſio.

E. g. Cum dico, *ego nihil video*, hoc volo dicere: *idea vocabuli* nihil *eſt omnino diverſa ab idea omnium rerum, quæ a me videntur*: ſeu alio modo: *ideæ omnes rerum, quæ videri ſolent, ſeparatæ in præſenti a me ſunt*. Similiter cum dico, *video tenebras*, quod vocabulum eſt negativum, & ſignificat *non video lucem*; explicandum eſt hoc modo: *idea lucis differt ab idea vocabuli tenebræ*. Item cum dico, *ante mundum conditum erat nihil*; ſeparo ab idea vocabuli *nihil* ideam *primæ exſiſtentiæ mundi*: & volo dicere: *mundus tot ante nos ſæcula exſiſtere cœpit*: ſeu alio modo: *mundus exſiſtere cœpit certo tempore ante quod tempus non niſi æternitatem Dei concipere poſſum*. Item cum dico, *Petrus non eſt Paullus*, hoc dico: *Petrus eſt aliquid diverſum a Paullo*. Hæc nos talia proferentes ſignificare volumus: & niſi hoc modo propoſitiones negativas interpretati fuerimus, ſonos inanes proferemus. Hæc ſatis ſint ut de reliquis judicare poſſimus: &, ſi ad hanc explicationem pleraſque diſputationes revocaverimus, quam inanes ſint, non ſine aliquo rubore clare intelligemus.

Ad *non ens* referri debet *ens rationis*, quod latius in Ontologia patet, quam plerique putant.

Eſt autem ens rationis, *id quod non niſi in ideis noſtris exſiſtit, nec extra eas exſiſtere poteſt*. Hujuſmodi ſunt ideæ omnes mente abſtractæ, veluti *humanitas*, *rotunditas*, & hujus generis alia: propterea quia nuſquam exſiſtit *humanitas* ſejuncta ab hoc, vel illo homine: *rotunditas* ab hoc, vel illo corpore rotundo. Item *relationes* omnes, *privationes*, & *negationes*; [1] quæ non niſi in mente noſtra exſiſtunt, ab eaque concipiuntur quaſi aliquid adhærens ſubjecto. Tolle cogitationes omnes, perierunt omnes relationes, privationes, negationes.

Quamquam vero hæc entia rationis nihil ſint extra mentem, tamen cum non ſine aliqua ratione in rebus inhærere concipiantur, propterea non *merum nihil* eſſe dicuntur, ſed *entia rationis*: quaſi dicas, ſunt *entia* prout opponuntur *mero nihilo*: ſunt *non ens* ſeu *nihil* prout opponuntur *alicui exſiſtenti*: ideoque *medium* quid inter ens & non ens. Quare male referunt aliqui Scyllam, Chimæram, Hircocervum, Centhaurum ad *ens rationis*: nam tametſi ejuſmodi res non niſi in mente exſiſtunt, tamen ſine ulla ratione a mente conduntur: ideoque ſunt *impoſſibilia*, *& merum nihil*.

Jam porro ideam *entis* tum concipio, cum vel me ipſum, vel quamlibet rem aliam, quæ mihi ante oculos obverſatur, & in qua plures ideæ ſecerni poſſunt, conſiderans, animadverto *me eſſe*, & mente ideas diſtinguens, ſeparo ideam exſiſtentiæ ab ideis aliarum rerum, quæ una in me ſunt, mentique meæ conjunctim ſe offerunt: ac de *exſiſtentia* tantum

[1] *Quid ſignificent hæc vocabula*, *infra Capite* IIII. *ubi de* Subſtantia, *explicatum habetis*.

tum loquor, nihil interim de ceteris commemorans. Hæc conſideratio exſiſtentiæ vel entis vocatur *abſtractio*, & ens eo modo conſideratum *idea abſtracta*.

Abſtractio autem variis modis fieri ſolet. Primo, cum divido materiam in partes, quæ reapſe partes non ſunt: ut ſe habet hoc libro, in quo diſtinctis capitibus diſputo de *ente*, de *eſſentia*, de *poſſibili*, de *perfecto*, quæ re vera unum & idem ſunt: hæc ſeparatio vocatur *abſtractio*, & unaquæque illarum idearum, *abſtracta*. Secundo, cum concipio modum ſine ſubſtantia: v. g. motum *rectum*, quin adtendam ad *corpus* mobile: vel modum ſine ejus modificatione: v. g. motum *rectum*, quin reſpiciam ad *velocitatem*: hæ enim nuſquam eſſe poſſunt ſine illis a quibus ſeparantur. Tertio, cum cognoſco Petrum v. g. in hoc eſſe ſimilem aliis hominibus, quod ſentiat, & ratiocinetur, & loquatur, & admiretur, & reliqua, quæ omnia vocabulo *homo* deſigno: hæc idea, quam propter ſimilitudinem cum aliis voco univerſalem, [1] eſt idea abſtracta *hominis*, ſeu *naturæ humanæ*.

Corollaria.

I. *Hinc omnis idea abſtracta reapſe eſt ſingularis.*

II. *Hinc omnis idea abſtracta vocari poteſt univerſalis.*

III. *Hinc univerſale dicitur tantum relative ad*

[1] *Ideas omnes* ſingulares *eſſe*, *nec niſi ob ſimilitudinem cum aliis ideis vocari* univerſales, *docuimus* Logicæ L.II. p. I. c. 12.

ad aliud : proinde eadem idea vocari poteſt univerſalis, particularis, ſingularis.

Omnia eadem ratione conſtant. 1. Cum mens ideas omnes, uti diximus, [1] ſenſibus adquirat, quæ, ſi ſunt complexæ, dividi poſſunt; iccirco etſi, dum cogito Petrum, mente ſeparem vel *exſiſtentiam* ab *eſſentia*, vel *animal rationale* a *riſibili*, tamen utraque idea illa eſt ſingularis : nec enim oculis natura humana generatim, nec omnes homines, qui ſunt, qui fuerunt, qui eſſe poſſunt, ſimul occurrunt ; ſed unus & alter eorum, qui exſiſtunt : item memoriæ non occurrunt, niſi quæ prius ſenſibus objecta fuere : id eſt, a ſenſibus primum orta ſunt. 2. Cum tamen omnino ſimilem ideam mente ſeparare poſſim in quocumque homine, qui menti meæ ſe offert; ideo hæc idea *homo* vocatur eadem in omnibus, & univerſalis. [2]

3. Ve-

---

[1] *Logicæ Libro II. p.* 1. *c.*3. *&* 4.

[2] *Ut abſtrahamus ideam* hominis, *vel* viventis, *ſufficit unus homo, qui mihi veniat in mentem, veluti Petrus. [re vera non niſi unum individuum poſt aliud menti obverſari ſentimus] Nam Petrus plures mihi offert ideas : eſt enim* exſiſtens, corpore & ſpiritu conſtans, vivens, ſentiens, intelligens, aptus ad ridendum, *&* flendum, *&* mirandum; *tali* ſtatura, facie, colore *ornatus, & reliqua. Quare cum hanc ideam complexam examino, & partes ſeu ideas ſingulas enumero, ſi tantum mente teneo ideam* viventis [*hæc etiam complexa eſt*] abſtraho *ſeu* divido *eam ab aliis. Ut vero intelligam eſſe ſimilem aliis, ſufficit ſi Paullus, Franciſcus, &*

3. Verum cum eadem idea ſingularis *homo* referri poſſit tum ad ſingulos homines, tum ad ſingula exſiſtentia; primo caſu vocatur *univerſalis*, ſecundo caſu *particularis*: quia non refertur ſimilitudine ad omnia

---

& pauci alii in memoriam incurrant, quos mens celeri ſuo motu veluti ictu oculi perluſtrat: itemque memoria teneam, quemlibet hominem eſſe ſimilem aliis. En abſtractio, *&* ſimilitudo: *ſed nihil* univerſale. *In quo igitur univerſale poſitum eſt? nempe in* errore, *quo mihi perſuadeo, me, cum enuntio ſimilem ideam de Paullo, Joanne, Franciſco, eamdem ideam* viventis *enuntiare. Quod ſi ad me redeo, ſi rem pro merito examino, clare cognoſco, non eamdem, ſed ſimilem ideam enuntiari. Remanet igitur* ſimilitudo *idearum*, univerſalitas *evaneſcit. Quare univerſale iis, qui rem diligenter conſiderant, nullum eſt, nec eſſe poteſt. En quo redit graviſſima illa diſputatio* de natura univerſali, *quæ tot ſæcula Reales, & Nominales exercuit, tot turbas non modo in Scholis, ſed etiam in Republica commovit! Nimirum ipſi ſe mutuo acriterque petebant, veruntamen ſe mutuo non intelligebant, ut fieri ſolet.*

Quod vero Recentiores aliqui cenſeant, ex ideis, quæ ſenſuum adjumento comparantur, elici poſſe ideam aliquam, quæ habeat objectum univerſale; niſi ad hucuſque expoſitam explicationem referatur, ſunt verba inania. Nihil enim aliud mens facit, quam vel conjungere, vel ſeparare ideas, quas ſenſibus accepit. Cumque per ſenſus non habeatur idea univerſalis, ſeparari ab aliis non poteſt

omnia entia; ſed ad ea tantum, quæ *homines* vocamus. [1] En paucis verbis, quæ de *abſtractionibus* utilia dici poſſunt, quæ mihi ſatis clara eſſe videntur. At Scholaſtici tot tamque inanes, & nullo modo intelligibiles diſputationes inſtituunt de *abſtractionibus*, ut ea, quæ vel opifices, & ruſtici ipſi non meditati faciunt; & quæ, ſi recte explicarentur, quiſque ſine labore intelligeret; ita verbis inplicant, & obſcurant, ut non niſi plurima meditatione, & in eorum libris mora intelligi poſſint.

E. g. Frequenter villici, meſſores, paſtores, ceterique, cum operam ſuam locant alicui, & ſentiunt dominum aliquid vel de potu, vel cibo, vel mercede pacta detrahere; clamitant, injuriam ſibi fieri

---

teſt. Quod ſi mens talem virtutem habet, certe creabit *ideam univerſalem, cujus nihil antea in ideis, quas ſenſibus adquiſiverat, ſimile erat: quam virtutem nemo ſanus animo concedet. Sed de his* Logicæ L.II. c.12. corollario v. & vi. *quædam monuimus, quæ ex ſupra dictis clarius demonſtrantur.*

[1] *Univerſalia dividunt Scholaſtici in quinque ſpecies, quas ſic vocant:* genus, ſpecies, differentia, proprium, accidens. *Horum nominum ſignificatum noſcere ſat eſt, idque eorum libri declarant. Nullius tamen hæc uſus ſunt: immo vero plurima falſa continere, ex iis, quæ capite ſequenti dicemus, notum erit. Sunt enim* eſſentiæ Nominales *tantum: ſed quidam Scholaſtici eas ſumunt pro* eſſentiis Realibus, *& in hoc manifeſte errant, ut in* Logica L.II. part. 1. cap. 12. *fine, monui: quæ ad hanc explicationem revocanda ſunt.*

fieri, quod merces non integra ſolvatur: & ſic de mercede loquuntur, quaſi una res eſſet, quæ ad omnes pertineret. En *abſtractio*: & merces illa eſt idea *abſtracta*, & *univerſalis* ſenſu vulgari. Interroga vero ruſticum, an una tantum merces omnibus conſtituta ſit, nempe oboli xx. an ſingulis operariis ſinguli xx. oboli ex pacto ſolvendi ſint; audies, non unam tantum mercedem, ſed plures ſimiles, ejuſdemque valoris ſingulis debitas eſſe. En ſolutio controverſiæ. Quid aliud faciunt Philoſophi, cum rem ſine præjudicio examinant? quid vero Scholaſtici, niſi rem vel ruſticis claram, confuſo illo dicendi modo obſcuram faciunt? Doce ruſticum verba Philoſophorum; oſtende quo nomine unaquæque res ab iis vocari ſolet; & cognoſces, clarius interdum & loqui, & judicare ruſticos, quam Philoſophos non nullos.

Caput III.

De Eſſentia.

Eſſentia definitur, *id per quod res eſt id quod eſt.* Quæ definitio eodem vitio laborat ac illa *entis*. Nam cum quælibet res per ſe ipſam ſit id, quod eſt, tali definitione hoc tantum dicimus: *eſſentia unius rei* eſt, *eſſe talem rem*. Ideoque *eſſentia*, & *hæc res* idem ſignificant, nec ex tali definitione evadimus doctiores.

Reapſe tamen eſſentia uniuſcujuſque rei eſt cumulus proprietatum omnium, ex quo res eſt hæc, non alia. Quarum proprietatum cum pleræque

que nobis incognitæ ſint, proinde nec eſſentia rerum nobis cognita eſt. Hæc aliquo exemplo inluſtremus oportet, quod ab humana natura, utpote magis explorata, magiſque familiari, ut ita dicam, ſumemus.

E. g. Petrus plures habet proprietates, ex quibus homo eſt, non aliud ens: eſt enim *animans, ratione utens, aptus admirationi, aptus riſui, figura humana præditus*, ut alia mittam ſatis nota, quæ faciunt ut ſit *homo*. Hæc illico conſideranti ſe offerunt. At multo plura habet Petrus, quæ nos omnino ignoramus. Nam primum inſenſilis conſtitutio & complexio partium exiliſſimarum humani corporis cognita nobis non eſt. Deinde notus non eſt uſus quorumdam viſcerum, quæ ſatis conſpicua ſunt: nec vires ac efficacia humorum: nec facultas has & illas adfectiones, hos & illos morbos perpetiendi: nec quomodo humanum corpus cum mente conjungitur, in eam agit, ac ab ea viciſſim movetur: poſtremo vires omnes humanæ mentis exploratæ nobis non ſunt. Quæ ſingula tam pertinent ad eſſentiam Petri, ut homo eſt, quam reliqua, quæ ante memoravimus: nam ſi vel unam harum demſeris, non erit hæc ſpecies hominis, ſed alia. Itaque hic acervus eſt *eſſentia realis*, ſeu Phyſica hominis.

Hæc cum non animadvertiſſent Philoſophi plerique, ſibi perſuaſere, has duas ideas *animal rationale* eſſe totam eſſentiam realem hominis: quidquid ultra additur, extra eſſentiam eſſe, ideoque *proprietatem*. In quo perſpicue fallebantur. Nam cetera, quæ ſupra memoravimus, eſſentiam Phyſicam hominis itidem conſtituunt. Immo vel ſola *figu-*

figura humana tam pertinet ad eſſentiam hominis, quam eſſe *rationale*, eſſe *animal*. [1]

Itaque duplex in homine eſſentia diſtingui poteſt: Altera, quæ ex quibuſdam tantum ideis notioribus mente componitur, & vocatur *eſſentia nominalis* & *Metaphyſica*. Altera, quæ ea omnia complectitur, quæ re ipſa hominem conſtituunt. Hæc vocatur *realis*, & *Phyſica*, & longe differt ab eſ-

[1] Figuram humanam *eſſe partem eſſentialem humanæ ſpeciei, quæ in hoc orbe terræ eſt, nullus, qui rem ſine præjudicio examinarit, negare poterit. Non enim homo eſt ſolum* animans rationale, *ſed etiam* humana figura præditum: *adeo ut nullum animans rationale nobis cognitum figura humana careat. Finge* animans rationale *vel equi, vel piſcis ſpecie præditum: quis id* hominem *eſſe dicet? Cur fetus, qui humana ſpecie carent, hoc ſolo nomine ex cenſu hominum delentur, per leges occiduntur, nec umquam magiſtratus, aut parentes ſperant ut ad rationis uſum perveniant, ut examinent, an ſint animalia rationalia? Contra cur fatui, & qui nullum rationis indicium fecere, hac ſola de cauſſa homines judicantur, quod figura humana ornati ſint? Hæc profecto demonſtrant, a natura inditum eſſe omnibus ut judicent, humanam figuram ita eſſe partem eſſentialem hominis, ut, niſi ea præditum, nullum animans rationale* homo *ſit. Quæ cum a clariſſimis Philoſophis & proximo, & præſenti ſæculo copioſe ſint inluſtrata, prætereunda hoc loco videntur.*

ab eſſentia illa *Metaphyſica*. [1] Ex his autem aliqua deducuntur, quæ in diſputando non pœnitendam utilitatem adferunt. Tales ſunt ejuſmodi

Canones.

I. *Ex eſſentia* Metaphyſica *non bene infertur eſſentiam* Phyſicam *ſimilem eſſe*.

Nam ſingularum rerum naturam, ut re vera eſt, nemo cognoſcit, ſed tantum proprietates aliquas, quæ totam eſſentiam non faciunt.

II. *Eſſentiæ* Phyſicæ *rerum ſunt æternæ, & inmutabiles*.

Aiunt Platonici; [2] negant aliqui cum Carteſio, qui propoſitionem ſatis claram ſuis diſputationibus ineptis tam inplicatam reddidere, ut haud facile intelligi poſſit. Nihil tamen facilius demonſtratur, ſi vocabula accurate definiamus, ex quibus

[1] Eſſentia, & Natura *in rebus creatis idem ſignificant*. Natura *enim interdum ſumitur pro interna illa complexione partium, quæ facit, ut ſit hoc ens*: *hæc dicitur* eſſentia Phyſica. *Interdum pro idea illa complexa rei, quam definitione declaramus*: *hæc vocatur* eſſentia Metaphyſica.

[2] *Putabat Plato æterna exemplaria, ſeu ideas quaſdam æternas inmutabiles, univerſales, a Divino intellectu emanantes, & ab eo ſeparatas, dum rebus creatis & fluxis uniuntur, earum* eſſentiam, & formam *conſtituere*. *Ita Plato in* Timæo, *& in* Parmenide. *Conſule Ariſtotelem* Metaphyſ. L. XIII. c. 4. *Hæc late perſequitur Bruckerus* Hiſt. de Ideis Sect. I. §. 4.

bus tota hæc rixarum, & controverſiarum ſeges exſiſtit.

Igitur canonis ſenſus eſt: Cum eſſentia rerum, uti diximus, ſit id quod res eſt; res autem una & eadem non poſſit ſimul eſſe, & non eſſe; conſequitur & illud, ſi ab æterno verum fuit dicere, *habere rem tales proprietates*; *ab æterno fieri non potuit, quin habeat tales proprietates, dum eſt eadem res*. Ideoque ſi ab æterno exſtitiſſet, non alio modo exſtitiſſet, quam nunc eſt: propterea vera ac Phyſica eſſentia æterna eſt, & inmutabilis.

E. g. Natura numeri *ternarii* in hoc conſiſtit; *quod ſit binario unitate maior*: item natura *trianguli* in eo ſita eſt, *quod ſit figura tribus lineis definita*. Quare ſi Deus ab æterno tempore cognovit; talem eſſe naturam rerum, quas vocamus *ternarius*, & *triangulus*; omnino fieri non poteſt ut id, quod vocamus eo modo, non habeat talem naturam: aliter eadem res eſſet *ternarius*, & non eſſet; eſſet *triangulus*, & non eſſet. Nam cum *ternarius* & eſſe *binario unitate maior*, eamdem ideam ſignificent; qui ait, *ternarium eſſe binario unitate maiorem*, hoc ait: *ternarium eſſe ternarium*, ſeu *talem rem eſſe talem, non aliam*: quod ſatis evidens eſt.

Poſſunt quidem nomina mutari, & id, quod vocatur *ternarius*, nominari *binarius*: at ſemper idea *ternarii*, & *binarii* reapſe erunt diverſæ: idem repræſentaount, quod ante, dum iidem numeri manent. Quod ſi e *ternario* demis unitatem, non erit *ternarius*, ſed *binarius*: ſi addis *unitatem*, non erit *ternarius*, ſed *quaternarius*. Proptereaque ſemper *ternarius* reapſe eſt ille, qui *binarium* *uni-*

unitate ſuperat, & *quaternario unitate minor eſt*. Itaque poteſt Deus naturæ humanæ aliquid detrahere, vel addere: id eſt, talem hominem condere, qui non melius judicare, & ratiocinari poſſit, quam bimeſtris, aut bimulus infans: quique admirationi aptus non ſit. Vel e contrario, talem condere, qui exiliſſimas res, quæ nec microſcopio diſcerni poſſunt, ſenſibus clare percipiat: qui nutritione non egeat: qui mala venena ſine ullo damno hauriat. Verum tali caſu non erit idem homo, qui nunc eſt, ſed alius: & tantum nomine tenus erit *eadem* natura humana. Item poteſt Deus Petri jam conditi cerebrum tali modo adficere, ut ſanus, & integer amplius ratiocinari non poſſit. At non erit idem Petrus, ſed alius: non aliter ac ſi anima Petri alia, & alia humana corpora, ut Pythagorei comminiſcebantur, habitaret, alios, & alios homines conſtitueret. Item poteſt Petri corpus vel eſſe, vel in terram reſolvi, ut mortuis evenit. At eo caſu perit natura Petri, non mutatur in aliam. Semper enim natura Petri, dum permanet, eaſdem proprietates habet: & cum reſurget in die extremi judicii, eaſdem habebit. Nos autem nomina mutari poſſe, non negamus: rerum eſſentiam, dum eæ permanent, mutari poſſe, id eſt, quod conſtantiſſime pernegamus. [1] Hæc ſatis perſpicua ſunt: ut qui hæc

[1] *Philoſophi qui dicunt, rerum eſſentias archetypas, & intelligibiles [relatas ad Deum] inmutabiles eſſe, factas vero eſſentias mutabiles, confundunt duo longe diverſa*, mutare, & deſtruere. *Poſſunt quidem eſſentiæ factæ* deſtrui: *v. g. ſi humana*

hæc negent, & contendant fieri poſse ut eadem eſſentia manens mutetur; e. g. *ternarius* dum eſt *ternarius*, quatuor unitates contineat; an ſatis ſani ſint, merito dubitari poſſit.

III. *Eſſentiæ* Metaphyſicæ *ſeu* nominales *rerum mutabiles ſunt*.

Paradoxum hoc Scholaſticis videri debet, qui nos contrario canone obtundunt, enecant. Sed eos ſibi ipſis placere non moleſte ferimus: hoc agimus, ejuſmodi canonem ex dictis plane & proxime proficiſci. Nam *eſſentia Metaphyſica* eſt cumulus earum idearum, quas putamus rei eſſentiam conſtituere: hic autem cumulus & minui poteſt, & augeri.

E. g. Eſſentia Metaphyſica *hominis*, ſi Scholaſticos audimus, ſita eſt in hoc, quod ſit *animal rationale*. Philoſophi vero, qui demonſtrant, omnes proprietates hominis, quæ nobis cognitæ ſunt, immo & figuram humanam ad ejus eſſentiam Phyſicam pertinere, aliam eſſentiam *Metaphyſicam* hominis mente concipiunt, nempe *animal rationale humana figura præditum*, & cetera. Quod ſi aliæ proprietates hominis nobis cognitæ eſſent; ſi intelligeremus, qua ratione corpus, & ſpiritus conjungan-

I tur,

---

na fabrica putrefacta reſolvatur in partes: non tamen mutari, *quia ſemper humana fabrica, ſi exſiſtat, erit eadem. Similiter poteſt Deus animum hominis deſtruere: ſed facere non poteſt ut animus hominis mutetur, id eſt non ſit rationis particeps dum eſt. Tantum materia, ex qua corpus hominis exſiſtit, hoc ſenſu mutatur, quia modo fabrica hominis eſt, modo vermis, modo terra. Quæ ſedulo diſtinguenda ſunt.*

tur, menſque cognoſcat, ſentiat, doleat, gaudeat, fabricam hominis moveat, ac a ſenſibus viciſſim adficiatur; tunc alia eſſet idea complexa hominis, id eſt alia definitio, id eſt alia *eſſentia Metaphyſica*.

Hæc de cognitione illa dico, quæ naturæ viribus habetur. Nam ſi de notione ſermo eſt, quam Divino præſidio habere poſſumus, nulli dubium eſt, quin Deus omnia, quæ in Petro reperiuntur, nobis declarare poſſit: quo caſu adæquatam eſsentiæ Petri cognitionem haberemus: ideoque ejus eſsentia Metaphyſica, & Phyſica & eadem eſset, & inmutabilis reſpectu noſtri, ut ſe habet apud Deum.

Scholion.

Quot quamque obſcuras, & inutiles de Eſsentia *diſputationes inſtituant Scholaſtici, propterea quod verbis vel ambiguis, vel nihil ſignificantibus uti conſueſcunt, nemo eſt qui non videat. Illud miror, hoc etiam vitio inquinari aliquos, qui ex diſciplina Recentiorum diſputant. Verum cum illa, quæ aliquid utilitatis vel ad recte judicandum, vel contra alios diſputandum adferunt, ex hucuſque dictis & facile, & aperte deducantur; nos ea veluti* corollaria *ponemus, &, ſi opus fuerit, explicationes aliquas adjungemus.*

Corollarium I.

Hinc definitiones rerum, quæ a Deo conditæ ſunt, tantum ſunt definitiones nominales, *non* reales.

Cum

Cum enim rerum naturam nemo penitus intelligat, ſed tantum proprietates aliquas, quas definitione exprimit; fit conſequens nullam definitionem explicare rem ut revera eſt, ſed ut nobis eſse videtur. Igitur eſt *nominalis*.

E.g. Cum definio hominem hoc modo, *animal rationale figura humana præditum*, definio *nomen*, id eſt, explico quid ſignificet nomen *homo*: at non omnia percenſeo, & declaro, quæ faciunt ut ſit homo. [1]

Verum etſi omnis definitio rerum ſit *nominalis*, tamen vocatur *realis*, ſi explicat nomen eo ſenſu, quo univerſi homines accipere ſolent: ſin autem uſurpat eo ſenſu, quo vel unus tantum, vel aliqui accipere volunt, appellatur *nominalis*.

E. g. Definitio *hominis*, quam dedimus, vocatur realis, quia ita omnes exponunt nomen *homo*. Quod ſi dico, *vocabulo* homo *ſignifico intelligentiam omnis corporis humani expertem*, manifeſtum eſt, me definire *nomen* tantum: quia eo ſenſu non ſumitur ab omnibus, ſed a me tantum.

Corollarium II.

Hinc definitiones idearum noſtrarum interdum ſunt reales.

Nam tametſi dum definio ideas, definio nomen, tamen hæc definitio interdum naturam rei definitæ plane exponit: ut ſe habent definitiones aliquæ Mathematicorum: v.g. definitio *puncti*, *li-*

I 2 *neæ*

[1] *Repete, quæ diximus* Logicæ L.III. p.1. *c.6.* §.1. & 2.

neæ, *ſuperficiei*, & reliqua. Dixi *interdum*, nam pleræque ita ſe non habent. [1]

Corollarium III.

Hinc ſi aliquid eſſentiæ Phyſicæ adjungatur, vel detrahatur, non erit eadem *eſſentia*, *ſed alia*.

Conſequitur ex iis, quæ ad ſecundum canonem ſupra diximus. Cum autem nomen *eadem* alii alio modo accipiant, advertendum eſt, non quamlibet mutationem Phyſicam facere, ut eſſentia Metaphyſica mutetur; id eſt, ut res *non eadem eſſe* dicatur: ſed eam tantum, quæ naturam rei tam mutat, ut ab hominum genere alio nomine appellanda eſſe videatur.

E. g. AEthiops colore, capillo, figura naſi, ac labiorum ita differt ab homine Europæo, ut etiamſi AEthiopes in Europa naſcantur tritavis AEthio-

[1] *Cenſent non nulli definitiones omnes Geometrarum plane naturam rerum definitarum explicare. Quod quam falſum ſit, vel ipſa definitio* trianguli rectilinei *declarat, quæ ita ſe habet*: Figura tribus rectis lineis definita. *Nam non explicat*, tres angulos unius trianguli eſſe æquales duobus rectis: angulum externum eſſe æqualem duobus internis oppoſitis: triangulum eſſe dimidium parallelogrammi, quod habeat eamdem baſim, & altitudinem: omnes figuras rectilineas in triangulos reſolvi poſſe, ceteraſque proprietates, *quæ tam pertinent ad naturam prædicti trianguli, quam pertinet* eſſe figuram tribus lineis terminatam. *Idem de* circulo, *ceteriſque dicendum eſt*.

Æthiopibus, modo mares, & feminæ ejuſdem coloris commiſceantur, perpetuo eodem colore, capillo, & facie ſe habeant. Hæc tamen differentia non facit, ut alterius naturæ ac ſpeciei eſſe judicentur. Quod idem de Cafrenſibus, & Sinenſibus, aliiſque populis, qui aliquid a nobis diverſum præferunt, dictum volo. Contra vero mulus, & aſinus, tametſi paullulum figura, ac natura differunt, tamen quia alter filios generat, alter non item, diverſo nomine vocantur, & alterius ſpeciei eſſe putantur. Quid? etiamſi eamdem naturam, & figuram habeant, interdum tamen ex diverſa magnitudine ſpecifica, non *eadem* animalia judicantur. Nam equus *Afer* velociſſimus, equus *Germanus* gravis, & tertius equus exiguus, quem Itali *Schiavetum* vocant, Luſitani vero *Gallaicum*; non niſi magnitudine differunt: tamen quia ſemper ſui ſimiles generant, non alterius magnitudinis; propterea tribus nominibus vocantur, & trium ſpecierum eſſe reputantur. Quare ex communi hominum ſenſu, qui ea, quæ ſenſim mutata vident, alio nomine appellant, dijudicandum eſt, an *eadem* natura ſit, an *diverſa*.

Corollarium IIII.

Hinc ſi eſſentia Phyſica ſemper eſt eadem, ſemper eſt una.

Conſequitur ex ſuperiori. Cum enim ab eſſentia nihil demi poſſit, nihil addi, non poteſt una eſſentia in duas eſſentias dividi, quarum quælibet dimidiam partem proprietatum habeat: propterea quia non eſſet eadem, quæ nunc eſt. Quare ex

identitate eſſentiæ recte infertur eſsentiæ *unitas*: & e contrario ex *unitate identitas*. Sed quamquam idem ſignificet *unitas*, *&* *identitas*, tamen pro vario modo concipiendi differunt: nam ſi eſsentiam conſidero in ſe, dicitur *una*; ſi refero ad locum, vel tempus, in quo antea erat, nunc non eſt, dicitur *eadem*, vel *diverſa*.

Longum eſset enarrare, quot nugas, & ineptias de *unitate* cogitent non nulli, quamque mira circuitione verborum id explicare aggrediantur, quod nemo quamtumlibet rudis, non intelligit. Aiunt, *unum* eſse, *quod eſt indiviſum in ſe*, *&* *diviſum a quolibet alio ultima diviſione*. Quis tamen adeo bardus eſt, ut dicat, ejuſmodi definitionem clarius explicare ideam *unius*, quam vocabulum *unus*? aut ruſticum, qui eam audit, clarius intelligere, quid ſit *unum*, quam eo audito vocabulo? Quæras quid ſit, *eſſe indiviſum in ſe*? ſi recte loqui amant, reſpondebunt, *eſſe unum*. Itaque idea *unius*, ut ſcite Lockius [1] eſt omnino clara & ſimplex: ideoque in alias ideas clariores reſolvi non poteſt, id eſt clarius explicari. Non aliter ac idea albedinis, lucis, ceteræque ſimplices, quæ per ſenſus comparantur; quæ adeo claræ ſunt, ut nullis clarioribus exponi poſſint. [2] Ideam porro *unius* ex ſingulis rebus, quæ objiciuntur, homines adipiſcuntur: eamque tam bene intelligunt ruſtici, quam Philoſophi.

Co-

[1] De l'Entendement Humain L.II. cap.7. §.7. & cap.16. §.1.

[2] *Confer quæ docuimus in* Logica L. III. cap.6. §.1. *in Corollariis*.

Corollarium V.

Hinc individua, quæ ad eamdem ſpeciem pertinent, habent eamdem eſſentiam Metaphyſicam; *non* Phyſicam.

Nam ſingula individua humana ſimiles proprietates menti offerunt; quod ipſum eſt *eſſentia Metaphyſica*, & vocatur *ſpecies*. At ſinguli homines aliquid peculiare habent, vel in fabrica humana, vel in humoribus, in quo ab aliis diſcriminantur, [1] id eſt diverſam *eſſentiam Phyſicam*.

Corollarium VI.

Hinc ea, quæ vulgo dicuntur eadem; *non habent identitatem naturæ, ſed ſimilitudinis.*

Magni momenti eſt hoc corollarium ut recte de rebus judicemus. Quod, quia bene multi Philoſophi non fecerunt, egregie decepti ſunt, & miras ineptias fuderunt, putantes ea, quæ ſimiles proprietates habent, *eamdem rem* eſse. Hinc natæ ſunt *generales* illæ ideæ Platonis: hinc *naturæ communes* Platonicorum, & Peripateticorum: hinc *unica illa natura* Spinozæ, & cætera ejuſmodi, quæ ipſi facile vitarent, ſi *ſimilitudinem*, ſeu *identitatem Moralem*, ut vocant, ab *identitate Phyſica* ſecernerent.

E. g. Tiberis aqua indeſinenter mutatur, & ripam alia ſemper & alia præterfluit: tamen quia ſimilis aqua ſimili modo, & fere ſimili alveo perpetuo fluit,

[1] *Conſule Cl. Boerhaaven. in* παθολογία *per totam; præſertim* §.730. 736. 742. & *Haller ad eum locum.*

fluit, Tiberis *idem* appellatur. Petrus, & Paullus habent duas naturas re ipſa diverſas: cum autem ſimiles, vel fere ſimiles proprietates habeant, quibus nomen *natura humana* tribuitur, propterea *eamdem* naturam habere dicuntur. [1]

Corollarium VII.

Hinc nullæ ſunt proprietates Phyſicæ, *ſed tantum* Metaphyſicæ, *& nomine tenus*.

Nam res, quas Philoſophi *proprietates* vocant, & ab eſſentia proficiſci putant, v. g. eſſe *riſui aptum*, tam pertinent ad eſſentiam Phyſicam hominis, quam eſſe *animal rationale*: nihil enim eſt *riſui aptum*, quod non ſit *animal rationale*: tamque differt homo a non homine, hoc nomine, quod eſt *aptus ad ridendum*, quam *aptus ad ratiocinandum*. Quia tamen Philoſophi non nulli vocarunt *eſſentiam* illud, quod ex uſu vulgari loquendi in ſcholis primo menti ſe offert, ut *rationale*; quod ſecundo menti occurrit, *proprietatem*, ut *riſibile*; propterea hæ res iis nominibus in ſcholis diſtingui ſolent. Quod ſi hominem re ipſa examino, ejuſque proprietates ſingulas exploro, tam facile menti occurrit *riſibile*, quam *rationale*: tamque ex *riſibili* inferre poſſum, eſſe *animal rationale*, quam e contrario. Et qui *animal riſibile* eſſentiam vocare vellet, *rationale* vero proprietatem, tam bene philoſopharetur, quam illi, qui in *rationali* ſitam eſſe eſſentiam dicunt, proprietatem in *riſibili*. Ideoque

[1] *Vide quæ diximus in* Logica L.II. p. 1. cap. 12.

que hæc aliaque hujus generis proprietates ſunt *nomine tenus*.

Corollarium VIII.

Hinc de qualitatibus Phyſicis *idem*, *quod de proprietatibus*, *dicendum eſt*.

Nam *qualitates* Phyſicæ ſtricte acceptæ idem ſignificant ac *proprietates*: v. g. in igne *facultas comburendi*, in aqua facultas *humectandi*, in homine *ridendi*: quæ tres ad eſſentiam Phyſicam pertinere ſupra probavimus.

Contra vero *qualitates*, quæ rem Phyſice conſtitutam ponunt; & ab ea abeſſe poſſunt, quin deſinat eſſe talis res; hæ tametſi Phyſicæ ſunt, vix umquam qualitates, ſed *modi* nominantur. Et ſi de iis eſt ſermo, quas habere, vel non habere ab hominis voluntate pendet, ut eſſe *muſicum*, *doctum*, *prudentem*; hæ *qualitates morales* merito nominari poſſunt: immo vero & hæ, & ſuperiores aliis nominibus, ut capite ſequenti demonſtrabimus.

Caput IIII.

De Subſtantia, & Modis ejus, ubi de Relationibus. Exſiſtentia, Subſiſtentia.

I.

Subſtantiæ vocabulum alio & alio ſenſu a Philoſophis uſurpatur. Sed ſi uſurpationes ſingulas accurate examinamus, facile intelligemus, eo vocabulo nihil aliud ſignificari, quam *eſſentiam*, ſeu *naturam*

turam rei mente ſejunctam ab iis modis, qui eam ornant. Itaque definiri ſubſtantia poteſt, *eſſentia ſeparata a ſuis modis*. Eſt autem *modus* id, quo ſubſtantia hoc, vel illo modo eſt, eamque quodammodo veſtit, & ut ſenſibus percipiatur facit: qui alio, & alio nomine *modificatio*, *adjunctum*, *adtributum*, *accidens*, *circumſtantia*, vocari conſueverunt.

Hinc fit manifeſtum, *ſubſtantiam* eſſe ideam relatam ad *modos*, a quibus fingitur ſeparata, ideoque eſſe ideam abſtractam: nulla enim exſiſtit *ſubſtantia* carens omnibus *modis*. Quare qui de *ſubſtantia* ſine modis ſumta diſputant, non de re aliqua, quæ extra mentem ſit, diſputant; ſed de abſtracta idea, quæ tantum in eorum mente exſiſtit. *Subſtantiæ* enim, ut in Logica docuimus, [1] nullam aliam ideam habemus, niſi concipientes *cumulum modorum*, & *poprietatum*, adjungendo iis ideam obſcuriſſimam naturæ nobis incognitæ; id eſt, complexionis v. g. partium materiæ nobis non cognitæ, quam putamus tales res continere.

II.

Modi vel ſunt *interni*, vel *externi*. Interni ſunt, qui ita in ſubſtantia intrinſecus inhærent, *ut ab ea nec eſſe, nec intelligi poſſint exſiſtere ſeparati*: veluti *figura*, & *motus*: ubi enim eſt *figura* ſine corpore? *motus* ſine mobili? Externi ſunt, qui non reapſe in ſubſtantia exſiſtunt, ſed a mente noſtra

[1] L.II. p.1. c.11.

ſtra concipiuntur veluti aliquid, quod eam adficit: cujuſmodi ſunt *relationes* omnes.

Relatio eſt, *ratio, quæ, dum objectum conſidero, me movet ut aliud objectum ſimul cognoſcam*. e. g. Si conſidero Petrum *exſiſtere*, hæc idea vocatur *abſoluta*. Sin autem conſidero actionem, qua ipſe genuit filium, hæc actio movet me, ut eum referam ad filium, & vocatur *relatio fundamentalis*: denominatio *patris* eſt etiam *relatio*: idea, quam habeo *talis denominationis*, dicitur idea *relativa*: nomen *patris*, quo exprimo talem ideam, eſt nomen *relativum*. Sed hæc ulterius explicemus tironum gratia.

Itaque 1. *actio illa gignendi* vocatur *relatio*, quia me ducit in cognitionem filii, & mente veluti concipitur Petro adhærere. 2. Denominatio ſeu appellatio *filii* eſt etiam *relatio*, propterea quia ſimiliter me ducit in cognitionem filii, & eodem modo adhærens objecto concipitur. 3. Idea [*relativa*] quam habeo *patris*, eſt etiam *relatio*, quia & ipſa excitat me ut cognoſcam filium. 4. Nomen [*relativum*] quo exprimo talem ideam, ac denominationem, eſt item *relatio*, quia, eo audito, venio in cognitionem *filii*. Igitur hæ quatuor res ſunt quatuor *relationes*: tametſi 3. & 4. non *relationes*, ſed *relativa* vulgo appellentur.

Negant hæc aliqui, & contendunt, ſolas primas duas dici poſſe *relationes*, quia hæ ſolæ objecto adhærere concipiuntur. Meræ nugæ. Nam primum, quatuor his convenit definitio *relationis*. Deinde, ſi ſtricte loqui volumus, ſola actio gignendi, quia reapſe ex objecto profecta eſt, nec tamen durat in eo, ſola adhærere objecto quodammodo con-

concipi poſſet. At *denominatio* tam eſt externa, quam *idea*, quam *nomen*: propterea objecto adhærens concipi non poſſet. Poſtremo, quidquid dicant inepti aliqui, qui verbis nihil ſignificantibus res etiam clariſſimas involvere in more poſitum habent, nihil aliud reapſe eſt *denominatio filii*, quam *nomen filii*: quod nomen dum mente refertur ad ideam, quam exprimit, dicitur nomen *relativum*: dum ad objectum, in quo eſt fundamentum relationis, dicitur *denominatio*. Proinde quod *denominationi* tribuitur, etiam *nomini relativo* tribui debet. Secus doceant ipſi, quid ſit *denominatio*? ubi exſiſtat? in quo a *nomine relativo* diſtinguatur? numquam, mihi crede, docebunt.

Quod ſi rem diligenter examinamus, perſpicue cognoſcimus, *nomina relativa* cauſſam eſſe cur *denominationes*, id eſt *relationes* in objecto inhærere concipiamus. Nam tametſi primi inventores linguarum ex comparatione diverſarum rerum inter ſe nomina *relativa* excogitarunt, quibus prædictæ denominationes, ſeu relationes ſignificarentur; tamen hoc tempore alio modo ſe habet, & ex ipſis nominibus *relativis* venimus in cognitionem *relationum* ſeu *denominationum*. Nam cum a prima ætate adſueti ſimus non aliter cognoſcere rationem, & denominationem *patris*, niſi audito nomine *pater*, quod nomen duas nobis offert ideas *generantis*, & *geniti*; proinde audito nomine relativo, venio in cognitionem duarum idearum: ideoque poſito nomine relativo, ponitur denominatio: ſublato eo nomine, tollitur denominatio: & hæc duo tam arcte conjunguntur, ut cum loquimur de *nomine relativo*, de *denominatione* illa loqui neceſſe ſit,

idque

idque illico intelligatur. [1] Quapropter vel *nomen* ſit denominatio, ut vere eſt, vel ex nomine neceſſario ſequatur *denominatio*, ut putant Scholaſtici, perinde eſt ad id, quod volumus.

Illud etiam monere neceſſe habemus, ideam illam relativam *patris* non eſſe ſimplicem perceptionem rei; ſed lata ſignificatione vocari ideam, nempe *complexam*. Reapſe vero eſt judicium, quo percipio convenientiam duarum idearum, ſeu adfirmo Petrum eſſe genitorem filii, id enim ſignificat nomen *pater*.

Porro relationes generatim ſumtæ dividuntur in *denominationes externas*, *privationes*, *negationes*. Denominatio externa eſt, *nomen*, *quod ſubjecto tribuitur referendo ad aliud*, & concipitur veluti modus aliquis *adhærens eidem*: v. g. *eſſe cognitum*, *amatum*, *primum*, *poſtremum*, *judicem*, quæ non niſi cum ordine ad aliud dicuntur. De quibus ſupra jam diximus. Privatio eſt, *vacuitas perfectionis in ſubjecto*, *quod aptum eſt eam habere*: veluti *cæcitas* ſeu privatio viſus in homine: tenebræ ſeu privatio lucis in aere. Negatio eſt, *vacuitas perfectionis in ſubjecto*, *quod aptum non eſt eam habere*: ut *cæcitas* in lapide. Utraque concipi non poteſt niſi relative: in 1. enim conferimus hominem cæcum cum non cæco, ſeu videnti: in 2. lapidem cum homine videnti. Hæc ſunt, quæ tirones admonere ſatis eſſe putavimus. Hinc aliqua corollaria proficiſcuntur, quæ adjungere non pœnitebit.

Corol-

[1] *Hæc breviter in* Logica L.II. p.1.cap.12. §.3. *diſſeruimus quantum eo loco ſatis fuit*: *ſed ex iis*, *quæ hic dicimus*, *clarius intelligentur*.

Corollaria de Subſtantia.

I. *Hinc Subſtantia ſine ullis modis internis eſſe non poteſt.*

Aperte ſequitur ex dictis. Nos vero iccirco id ponimus, ut amphiboiias aliquas tollamus, & occurramus inanibus diſceptationibus, quæ de ſubſtantia inſtitui ſolent in ſcholis, quæ nihil aliud ſunt, quam *logomachiæ*.

Itaque *ſubſtantia* Phyſice & reapſe ſumta aliquot modos internos habeat neceſſe eſt. Quamobrem ineptum eſt quærere, *an ſine modis eſſe poſſit*: quia etſi ſubſtantia ſine uno vel altero *modo* interdum ſit, tamen in hoc rerum ordine omnibus modis ſpoliata eſſe non poteſt. Metaphyſice vero ſumta, ſine modis eſſe poſſe perſpicuum eſt. Quare ineptum etiam eſt quærere, *an ſine modis poſſit eſſe*: quia id ipſum ſignificat *ſubſtantia* Metaphyſice *ſumta*, nempe *naturam ſejunctam a modis*. Tamen cum idea abſtracta *ſubſtantiæ*, ut *eſſentiæ*, non eadem in omnibus ſit, ſed pro varietate rerum varia & ipſa; talis interdum eſt, quæ aliquos modos complectitur: qui propterea non amplius vocandi ſunt *modi*, ſed *eſſentia* & *ſubſtantia* rei. Sed hæc aliquo exemplo commode declarabimus.

E. g. *Pluma*, quam in præſentia manu moveo ut hæc ſcribam, poteſt non moveri, ſi conſiſtam: propterea *motu* privari poteſt, & *quieſcere*, quin deſinat eſſe pluma. Non tamen privari ſimul poteſt & *motu*, & *quiete*, ſed alterutrum habeat neceſſe eſt. Item non poteſt privari omni magnitudine, figura, ceteriſque: ſed unum, vel aliud neceſſario habet. Con-

Contra *horologium* v. g. præter artificium partium complectitur motum earum. Ideoque etſi *motus* generatim ſumtus ſit *modus* corporis, tamen eſſentia ſeu ſubſtantia eſt horologii. Item *fulmen* præter materiam inflammatam, includit motum perniciſſimum. Qua de cauſſa hic motus non amplius eſt modus, ſed eſſentia fulminis. Quare ut de *modis* recte judicemus, oportet primo conſtituamus, in quo ſita ſit natura rei, ne inſcite vocemus *modum*, id quod *naturam* conſtituit.

Corollaria de Modis.

I. *Hinc Modi interni re ipſa nihil aliud ſunt quam ſubſtantia, quæ hoc, vel illo modo ſe habet: propterea ab ea ſeparari non poſſunt.*

Incredibile dictu eſt quot *logomachiæ* de natura *modorum* ſeu *accidentium* audiantur in ſcholis quorumdam Philoſophorum, qui decepti abſtractis ideis, quibus propriam naturam, & exſiſtentiam tribuere ſolent, acriter contendunt, modos eſſe entia quædam, quæ a ſubſtantia exſiſtere ſeorſum poſſunt. Non eſt conſilium tam inanes diſputationes vel ſummis labiis deguſtare: nemo enim bona Philoſophia initiatus non agnoſcit, ex præjudicata ſententia *formarum diſtinctarum* has contentiones omnes proficiſci. Tolle præjudicia, remque libero judicio conſidera, plane cognoſces, ejuſmodi entia nulla eſſe. Quamobrem ſat erit monere, nullum modum internum a ſubjecto ſeparari poſſe: nec aliud eſſe *rotunditatem*, vel *magnitudinem* globi aurei, quam aurum hoc modo figuratum, & hac magnitudine conſtans. Poſſum quidem *rotunditatem* abſtracte conſi-

conſiderare: ſed intelligere exſiſtentem ſine materia cui inſit, non poſſum. Si negant, oſtendant *rotunditatem*, & *motum*, & ejuſmodi alia ſine ſubjecto, & habebimus illis gratiam de tam mirabili explicatione phænomeni.

Fide quidem ſanctum eſt, & in Conciliis, Tridentino præſertim, conſtitutum, ſub *ſpeciebus panis*, *&* *vini*, quæ in Euchariſtia ſe offerunt, non panis, & vini naturam & ſubſtantiam, ſed verum Chriſti corpus contineri. Sed an prædictæ *ſpecies* accidentia *abſoluta* ſint, ut aiunt Scholaſtici; an meræ *ſpecies*, ut putant Recentiores, nuſquam definivit Eccleſia: nec umquam iſtiuſmodi quæſtio in Eccleſia mota eſt: immo vero nuſquam lego, de exſiſtentia *ſpecierum* in Euchariſtia dubitatum fuiſſe, quam nemo niſi cæcus, aut demens negare potuiſſet. Quare utrique & Scholaſtici, & Recentiores per Eccleſiæ leges ſuam ſententiam defendunt. Recentiorum vero explicandi ratio magis conformis videtur tum ipſis Conciliorum verbis, quæ perpetuo utuntur voce *ſpecies*; tum Recentioris phyſicæ inventis, quæ ex iis, quæ in corporibus obſervat, non ſolum deducit, modos internos ſine ullis entibus a ſubſtantia diſtinctis recte intelligi; ſed etiam demonſtrat, Euchariſticas ſpecies ſine *abſolutorum modorum* præſidio facile & clariſſime explicari, ſalva, ut ita dicam, Catholici dogmatis ſubſtantia. Quæ cum graviſſimi tum Philoſophi, tum Theologi eruditiſſime demonſtrarint, [1] omnem.

---

[1] *Conciliorum germanum ſenſum ex ipſis Conciliorum verbis, ex definitionis fine, ex hiſtoria Eccleſiæ*

mnemque evadendi occaſionem adverſariis audacius inſultantibus præcluſerint, non eſt cur iis ulterius inmoremur. Tantum eorum nomina adtingenda fuerunt.

Verum etſi daremus Scholaſticis, modos internos divina potentia a ſubſtantia ſejungi poſse, id noſtram non labefactaret ſententiam. Nos enim loquimur de modis ex legibus naturæ ſumtis, quorum habemus ideas: non vero de modis, qui omnipotenti virtute Dei alia ratione eſse poſſunt, quorum non aliam ideam habemus, quam ex

---

cleſiæ facile cognoſces. Rationem qua Recentiores modos *ſeu* ſpecies Euchariſticas *exponunt, habes apud Saguenſium Gallum, & Toſcam Hiſpanum, qui ex diſciplina Maignani philoſophantur. Sed palmam mea ſententia omnibus præripuit vir doctus Fortunatus a Brixia Franciſcanus, Philoſophiæ interpres in academia Brixiana, libro inſcripto,* Diſſertatio Phyſico-Theologica de qualitatibus corporum ſenſibilibus. Brixiæ 1749. 4. *qui omnia ſolidiſſimis rationibus confirmat. Neque tamen una eſt omnium Recentiorum explicandi ratio, nam Bernardinus D'Andrée Carpentoractenſis Ordinis Cappuccinorum in* Phyſica Part.II. tract.2. cap.20. ſeqq. *novum ſyſtema proponit, in quo ſibi ſumit probandum, in Euchariſtia* „Remanere quidem panis, „ & vini accidentia ſine eorum ſubſtantiis: at non „ ſine omni prorſus ſubſtantia: nam corpus Chriſti „ ſupernaturaliter vires gerit ſubſtantiæ panis & „ vini, ſubſtentando modo mirabili eorum acciden„ tia ſine inperfectionibus, & inhærentia,

divina locutione, id eſt valde obſcuram: [1] nec Scholaſtici clariorem ideam habent, quam nos.

II. *Hinc exſiſtentia eſt* modus internus *eſſentiæ Phyſicæ*.

Nam eſsentia ſine exſiſtentià præſenti intelligi quodammodo poteſt: exſiſtentia ſine eſsentia non poteſt. e.g. Cum concipio aliquid eſse tantum poſſibile, intelligo præſenti exſiſtentia carere. At ſi concipio ens aliquod re vera exſiſtere, fieri non poteſt quin concipiam habere naturam ſeu eſsentiam aliquam. Proinde exſiſtentia eſt *modus*.

Dixi *quodammodo*: nam cum poſſibilia, ut infra dicemus, nullum eſse in præſentia habeant, intelligi clare non poſſunt. Deinde *poſſibilia* non ſecus ac *futura* veluti exſiſtentia cogitamus: proindeque non incommode dicimus, habere illa exſiſtentiam vel poſſibilem, vel futuram. Nam cum ita a natura comparati ſimus, ut ideas ſimplices per ſenſus adquiramus; ex iis autem ceteras vel conjungendo, vel ſeparando deducamus; fieri non poteſt quin omnia quaſi exſiſtentia concipiamus. Ideoque poſſibilia, & futura non aliter cogitare poſsumus, quam eis quamdam exſiſtentiam mente tribuentes.

Multa hic non nulli, maxime Scholaſtici, more ſuo diſputant inania, ut exponant, an diſtinctio eſſentiæ ab exſiſtentia vocanda ſit *realis*, an *realis moda-*

[1] *Poſſe nos de re, cujus non niſi ideam obſcuram habemus, commode interdum, ſi modo neceſſe eſt, loqui; ideoque judicium noſtrum non eſſe falſum; ex iis, quæ paullo poſt, nempe Cap.*v. *corollario* 3. *dicemus, perſpicuum erit.*

modalis, an *modalis*, an *rationis*, an *formalis ex natura rei*. Realis eſt, quam habent duæ res, quæ ſeparatæ eſſe, & intelligi poſſunt, ut Petrus & Paullus. Modalis eſt, quam habent duo modi in eadem re: v. g. Petrus ſedens, & Petrus ambulans: magnitudo, & rotunditas ejuſdem globi. Realis modalis eſt, quam habent res, & modus ejus: v. g. corpus mobile, quod ſine motu eſſe poteſt; & motus, qui ſine mobili eſſe non poteſt. Rationis eſt, cum rem aliquam ad diverſa mente referentes, concipimus veluti diſtincta, quæ reapſe idem ſunt: v.g. cum in motu recto corporis diſtinguimus mente *directionem rectam* a *velocitate*, quæ duo re vera idem motus ſunt. [1] Formalis ex natura rei eſt,

 quæ

[1] *Addunt Thomiſtæ, aliique aliud genus diſtinctionis, quam vocant* virtualem intrinſecam: *& datur in re, quæ etſi una ſit, tamen occaſionem mihi præbet cur in ea plures veluti partes diſtinctas intelligam, de quibus contrarias propoſitiones adſeverare poſſum. Veluti in Deo, de quo vere dicitur*, Pater generat Filium, Natura divina non generat Filium; *cum tamen re ipſa ſit idem* Pater *&* Natura: *Verum ſi rem accurate expendimus, inveniemus, nullam diſtinctionem dari re ipſa, ſed* fundamentum *diſtinctionis: quod reſpectu noſtri ſemper conjunctum eſt cum vera diſtinctione* rationis. *Neque enim rem unam ſimpliciſſimam in partes diſtinguere poſſum, niſi adſit fundamentum & ratio cur diſtinguam. Quare qui putant, poſita diſtinctione* virtuali, *recte explicari & intelligi, cur reſpectu Dei veræ ſint propoſitiones illæ, quæ in creatis eſſent contra-*

quæ datur inter duas *formalitates*, cujuſmodi ſunt *directio*, & *velocitas* motus; *animal* & *rationale*. Vocatur *minor* reali, & *maior* diſtinctione rationis, ſive *media* inter utramque. Re autem vera eſt eadem diſtinctio *rationis*.

Negant hoc ultimum magna animi contentione Scotiſtæ prædictæ diſtinctionis auctores, de eoque ad nauſeam uſque in ſcholis decertant. Ego autem ſcire illos iſta melius, quam me, non ſolum fateor, ſed facile patior. Cum tamen nullum Scotiſtam

---

tradictoria, aperte falluntur. Cum enim talis diſtinctio, ſi eos audimus, nihil aliud ſit, quam multiplex ſimplicitas, & ſimplex multiplicitas naturæ divinæ, *ut ait Auguſt.* de Trinit. L.VI. c.4. *ſeu, ut clarius loquar, res una ſimpliciſſima, & infinita, quæ æquivalet pluribus; cumque nullus Catholicus de hoc dubitet, ſed ratio quæratur cur id ita ſe habeat; qui ait, difficultatem omnem evaneſcere poſita diſtinctione virtuali, dat pro reſponſione, quod eſt in quæſtione, ideoque nihil reſpondet, ſed ambiguitate verborum decipit lectorem. Quare melius erat ignorantiam ſuam ingenue profiteri, quam talem reſponſionem adducere. Itaque ne de verbis diſputemus, dicere debemus, nullam inter naturam & proprietates, vel inter proprietates* abſolutas, *uti vocant, dari diſtinctionem re ipſa: ſed mirabilem naturam Dei, quæ naturæ lumine clare cognoſci non poteſt, fundamentum nobis dare ut mente plura in ea diſtinguamus. Quod ex infinita perfectione Dei, & ex infirmitate humanæ mentis in hac vita, quæ plura ſimul concipere nequit, proficiſcitur. Sed de his in Theologia copioſius.*

ſtam offenderim, qui tale nobis myſterium aperiret, & tam bene explanaret *cur ejuſmodi diſtinctio non ſit realis*, ut ab aliis intelligi poſſet; inter ænigmata referendum cenſeo, quæ callido aliquo conjectore opus habent: vobis idonea eſſe non puto. Quod etiam de illis dico, qui *diſtinctionem virtualem actu dari a parte rei, præſertim in Deo*, contendunt. Qui niſi de fundamento diſtinctionis loquuntur, ſed veram diſtinctionem in objecto ponunt, pugnantia loquuntur, & quæ nullo modo intelligi poſſunt, nedum explicari. [1]

Hinc facile intelligi poteſt, exſiſtentiam *realiter modaliter* ab eſſentia diſtingui. Verum cum vocabula *realis*, & *modalis* alii alio modo accipiant, & definitiones nominum pro arbitrio ſtatuantur; pro varia eorum interpretatione, varia etiam *diſtinctio* admitti poteſt, ut conſideranti patebit. Ex quo perſpicuum eſt, ejuſmodi diſputationem, quam plurimi tanti faciunt, tantiſque clamoribus diſputant in ſcholis, nihil aliud eſſe, quam puram putam *logomachiam*. Quare ſi modo ſenſum habes in tuto, loquere, ut velis: ſi quo facilius inanes diſputationes vites, cura ut nullum vocabulum dubiæ ſignificationis uſurpes, quin accurate definias.

Scholion

Mos eſt quorumdam hoc loco de Subſiſtentia *copioſiſſime diſputare. Inepte ſane, nam ejuſmodi diſputatio Theologis optimo jure reſervari debet. Aliqua*

[1] *Vide quæ diximus ſupra in adnotatione ad præam paginæ.*

qua tamen addemus, quæ ſatis ſint, ut, ſi ejuſmodi vocabula occurrant, intelligantur facillime.

Quælibet *natura* ſeu *ſubſtantia* ſe ipſa exſiſtit, & operatur: id eſt non indiget alia ſubſtantia creata ut ſit, & operetur: in quo a *modo* ejus diſtinguitur, qui ſubſtantia indiget ut ſit. Cum igitur ſubſtantia ita ſe habet, vocatur *ſuppoſitum*: ratio illa tali modo exſiſtendi, appellatur *ſubſiſtentia*, ſeu *hypoſtaſis*: & ſi facultate intelligendi ſubſtantia prædita eſt, vocatur *perſona*.

E.g. Cadaver hominis v.g. Lazari [1] eſt unum ſuppoſitum, propterea quia nulla alia re indiget ut exſiſtat, ut introductioni alterius corporis in ejus locum repugnet, ut gravitet, ut lucem ad oculos inflectat. Quod ſi caput, ſi pedes, ſi brachia abſcindimus, tot erunt ſuppoſita, quot partes: idque ob eamdem rationem, quia quælibet pars altera non indigebit ut ſit, & operetur. Rurſum ſi partes conjungantur divina potentia, ita ut integrum cadaver faciant, denuo vocantur unum ſuppoſitum, quia una actione, ut ante, & ſunt, & operantur. Similiter anima Lazari ſeparata a corpore erat unum ſuppoſitum, quia alia re non indigebat ut eſſet, & cognoſceret, ac vellet. Pone nunc miraculum, quod Chriſtus fecit, cum animum in corpus Lazari denuo infudit. Hic jam non duo ſuppoſita ſunt *corpus*, & *animus*, ſed ex utroque unum ſuppoſitum componitur, qui *homo* vocatur: nam ob complexionem partium utraque communi actione eſt, & operatur. Verum cum motus liberi, in quo homo a bellua differt, non a corpore, ſed ab animo

[1] *De quo apud Joannem Evangel. Cap.* XI. *v.* 44.

animo nobiliori parte hominis proficiſcantur; propterea animo, veluti fonti & principio, humanarum actionum bonitas, & pravitas tribuuntur.

Corollarium.

Hinc Subſiſtentia in rebus creatis eſt modus ſubſtantiæ.

Non enim, uti demonſtravimus, eſt res aliqua, quæ adſit, vel abſit a ſubſtantia; ſed eſt eadem ſubſtantia, quæ tali modo eſt: id eſt, quæ ſe ipſa exſiſtit, & operatur.

Hæc illa ſunt, quæ naturæ ratione de *ſubſiſtentia* diſputari poſſunt. Sunt tamen alia, quæ divino ſermone cognoſcimus, cujus ope *ſubſiſtentiæ* notionem habuimus. Itaque fide divina conſtat primum, *tres eſſe in Deo hypoſtaſes, ſeu perſonas*: deinde *ſubſiſtentiam Divini verbi in Chriſto ſupplere vices ſubſiſtentiæ illius creatæ, quæ naturæ humanæ debebatur*. Quare etſi in Chriſto duplex natura ſit, divina, & humana; duplex itidem voluntas; tamen unica ſubſiſtentia, unica divina perſona reperitur. Hæc qua ratione ex Sacris litteris probari debeant, quidque ex tali doctrina in Chriſto conſequatur, ſuo loco in Theologia eſt demonſtrandum.

Corollaria de Relatione.

I. *Hinc relatio reapſe nec mutat, nec perficit ſubjectum, quod adficit.*

Nam reapſe in ſubjecto non eſt, ſed in mente noſtra. Deinde, aucto, vel diminuto numero rerum, ad quas res una refertur, augentur, vel mi-

nuuntur relationes, nec tamen vel leviter res ipſa mutatur. v. g. Si *filius* moriatur *vivo patre*, perit relatio ſeu denominatio *patris*, nec tamen pater mutatur. Et de talibus myſteriis ſatis.

Caput V.

De Finito, & Infinito.

F*Initum* eſt quodcumque ens certum & determinatum numerum vel partium, vel proprietatum continet: [1] v. g. omnia, quæ ſenſibus obverſantur. Quare ideam *finiti* omnes habent, eamque claram. Si aliquid difficultatis occurrit, ad *infinitum* revocatur.

Infinitum definitur ab Scholaſticis, *quod finem non habet*: quæ explicatio nihil amplius nos docet, quam vocabulum *infinitum*. Commodius diceretur, *id quod opponitur finito*, ſeu *non eſt finitum*. Dividitur in *infinitum potentiale*, & *infinitum abſolutum*. Potentiale eſt, *id quod in præſentia finitas res continet; poteſt tamen aliud & aliud ſine ullo fine habere: id eſt, evadere infinitum*. Abſolutum eſt, *id in quo reapſe infinitæ res exiſtant*: id eſt, jam nunc *eſt infinitum*. De utroque ſeorſum dicendum eſt.

Hinc manifeſte colligitur, ideam, quam habemus *infiniti*, nullam aliam eſſe niſi ideam *numerorum*. Sive enim infinitum *potentiale*, ſive *abſolutum* concipere, & explicare velimus, ſemper intelli-

[1] *Definitio quorumdam Recentiorum, nempe Finitum eſt*, quod non omnia nunc habet, quæ habere poteſt, *ad hanc reducitur*.

telligimus res numero infinitas, quæ vel nunc temporis ſunt, vel eſſe poſſunt ſine ullo fine: quod idem eſt ac plures *unitates*: nam quælibet res numerata eſt una unitas. Vocantur autem *res numeratæ*, ſi pro ipſis rebus accipiantur: *numeri*, ſi pro numeris abſtracte ſumtis. Proinde de *numeris* deinceps, utpote magis notis, dicemus.

Jam porro infiniti *potentialis* ideam aliquam non difficulter habemus: nullum enim *numerum* quamtumvis magnum animo concipere poſſumus, cui non alias & alias *unitates* ſine ullo fine addere poſſimus. Quod ſi ideam numerorum applicamus ad res diverſas, diverſa infinita concipere dicimus:

E.g. Si ideam *milliarii*, *leucæ*, *paraſangæ*, vel alterius notæ menſuræ, ut *ſemidiametri terreſtris*, applicamus ad *ſpatium*, & animadvertimus talem menſuram magis & magis mente duplicari poſſe, quin umquam ad finem veniamus; concipimus aliquam ideam *infinitæ extenſionis*, & hoc modo aliquam ideam *immenſitatis Divinæ*. Sin ideam numerorum applicamus ad *durationem* rerum, & concipimus animum noſtrum v. g. plures *annos*, vel *ſæcula* [quæ ſunt *menſura* durationis] magis & magis ſine ullo fine duraturum; concipimus aliquam ideam infiniti *temporis futuri*, ſeu, ut alii vocant, *æternitatis a parte poſt*. Sin ad tempus præteritum nos convertimus, & cogitamus ens aliquod ſemper alia & alia ſæcula ſine ullo fine duraſſe, aliquam ideam formamus *infiniti temporis præteriti*, ſeu *æternitatis a parte antea*. Si utramque conjungimus, formamus ideam aliquam *Divinæ æternitatis*. Quod ſi ideam numerorum applicamus ad *proprietates*, ſeu perfectiones Divinas, & cogitamus Deum

Deum non ſolum alias & alias proprietates ſine ullo fine habere, ſed alio & alio gradu magis perfectas item ſine ullo fine; concipimus ideam infinitæ *perfectionis*. Idem in ceteris, quæ *infinita* vocamus, evenire, ſi rem accuratius meditamur, reperiemus. Semper igitur infinitum *potentiale* concipimus inſtar numerorum, quos magis & magis augemus quin umquam augendi finem faciamus.

Ex his itaque manifeſte etiam colligitur, nullam nos habere ideam *infiniti abſoluti*: quia nihil tam magnum, tamque perfectum cogitare poſſumus, cui non alias, & alias res, vel gradus mente addere poſſimus.

E. g. Fingamus ab aliquo poni reapſe *numerum infinitum*, id eſt talem numerum, qui infinitas unitates contineat. Huic ego numero pro lubitu alias & alias unitates ſine ullo fine adhibere poſſum: proinde non erit re ipſa *infinitum*. Cumque *infinitum*, uti diximus, non niſi ad modum numerorum intelligere poſſimus; relinquitur nullam nos habere poſſe ideam *infiniti abſoluti*.

Corollarium I.

Hinc alia eſt idea infinitatis, *alia idea* infiniti: *illa clara, hæc obſcuriſſima eſt, vel potius nulla*.

Nam idea *infinitatis* eſt idea facultatis, quam habet res aliqua, v. g. *numerus quilibet*, ut ei aliæ & aliæ unitates addi mente poſſint, quin umquam ad ultimam unitatem perveniamus. Id autem clare a nobis concipitur, & convenit cum idea infiniti *potentialis*. Contra vero idea *numeri infiniti* eſt idea numeri, cui nihil addi poſſit, id eſt idea rei inpoſſibi-

ſibilis, id eſt idea nullius rei, id eſt nulla idea: quid. quid enim numerorum mente concipi poteſt, finitum eſt, & novas unitates recipere poteſt. Præterea idea *infinitatis* eſt idea abſtracta negativa, quæ vere reperitur in aliquo poſitivo. Idea vero *infiniti* repræſentat rem poſitivam, ſed talem, quæ eſſe non poteſt, ideoque eſt negativa, & obſcuriſſima, & nulla.

Corollarium II.

Hinc infinitatis Divinæ, ut in ſe eſt, nullam ideam habemus.

Deus enim eſt infinitum abſolutum, quod re vera in præſentia infinitas perfectiones complectitur. Nos autem tale infinitum cogitare non poſſumus. Deum itaque hoc modo concipimus infinitum, dum concipimus eſſe ens adeo perfectum, ut ſemper plures, & plures perfectiones in eo mente cogitare poſſimus. Quamlibet proprietatem divinam eodem modo concipimus *infinitam*. e. g. Concipimus *omnipotentiam Dei* alia, & alia entia magis & magis perfecta ſine ullo fine condere poſſe. Eodem modo ceteras proprietates infinitas eſſe intelligimus, & explicamus. At hoc eſt infinitum *potentiale*, non *abſolutum*: nec niſi obſcuriſſime, & longe diverſa ratione, quam in ſe eſt, *divinam infinitatem* repræſentat, nempe incomplete, inadæquate. Quod ipſum ex finita ſphæra noſtræ intelligentiæ proficiſci perſpicuum eſt.

Corollarium III.

Hinc cum dicimus, Deus eſt infinitum abſolutum, *hoc dicimus* : Deus eſt id, quod nos mente concipere non poſſumus, ut in ſe eſt.

Philoſophi non nulli temere, arroganterque ſibi perſuadent, ſe, cum Deum mente concipiunt, concipere *infinitum abſolutum*, cui nihil addi, nihil detrahi poſſit. Sed aperte falluntur ob non ſatis explicatas voces. Vellent profecto ipſi ita Deum concipere, ſed nullo modo concipiunt, nec concipere poſſunt. Itaque cum infiniti *abſoluti* nullam ideam habeamus [ex corollario 2.] conſequitur, nos, cum dicimus *Deus eſt infinitum abſolutum*, nihil aliud dicere, quam *Deus comprehendi a nobis non poteſt*. Quod ſi comprehendi non poteſt, plane conſequitur,nullam nos habere ideam Divinæ *infinitatis* : quam non alia ratione concipere poſſumus, quam inſtar infiniti *potentialis*. Itaque cum dico *infinitum abſolutum*, ſignifico aliquid, quod non eſt infinitum *potentiale*, & in hoc clare ſecerno unum infinitum ab alio : ſed ita ſignifico hoc *aliquid*, ut clare cognoſcam, a me concipi non poſſe, quale in ſe eſt.

Poſſum quidem alia de cauſſa mihi certo perſuadere, exſiſtere infinitum *abſolutum*, ut reapſe credo exſiſtere Deum infinitum; itemque exſiſtere plures res phyſicas, cujus natura incognita mihi eſt. At inde non ſequitur, me habere ideam *infiniti abſoluti* : ſed tantum me habere ideam *infiniti potentialis*, quod, auctoritate divina edoctus, credo eſſe infinitum alio modo mihi non cognito, quod vocant

vocant *infinitum abſolutum*: cujus proinde non niſi obſcuriſſimam ideam ex doctrina fidei concipere poſſum. Sed hæc ulterius declarare non inutile erit.

E. g. Nauclerus, qui fune quanta fieri poteſt longiſſima fundum maris explorat, nec invenit, duo clare cognoſcit: alterum, mare eſſe tam profundum, quam funis: alterum, mare eſſe profundius fune. Prima idea eſt poſitiva: ſecunda comparativa. Non tamen cognoſcit veram profunditatem maris: quod vult, habere eum, ideam negativam veræ profunditatis, ſeu nullam ideam. Similiter, qui ait *Deum eſſe infinitum*, habet ideam claram *infiniti potentialis*, ad quod tantum humana cognitio pertingit. Præterea certo etiam cognoſcit ex fide, Deum eſſe aliquid maius, mirabilius, & profundius, ut ita dicam, quam ab homine cognoſcitur, eſſeque infinitum alio modo; & hujus *maioris profunditatis divinæ* habet ideam obſcuram. Quo autem modo ſit infinitus Deus, id eſt, quanta ſit *profunditas*, ut ita me explicem, divinæ infinitatis, id ſane eſt, cujus nullam homo habet ideam. Cumque Deus eo tantum modo ſit infinitus, quo eſt; conſequitur ejus *infinitatem* cognoſci a nobis non poſſe. Propterea cum dicimus, *Deum eſſe infinitum abſolutum*; non explicamus, quid Deus ſit; ſed magis explicamus, quid nos non poſſimus: id eſt, ſignificamus Deum a nobis concipi non poſſe quam magnus reapſe eſt.

Corollarium IIII.

Hinc diſputationes de infinito abſoluto nihil aliud

aliud ſunt quam verba inania: propterea fugiendæ vero Philoſopho ſunt.

Nam vocabula *infinitum abſolutum* nihil aliud ſignificant, *quam rem, quæ a nobis concipi non poteſt*: ideoque de qua nihil commode dici poteſt. Magnæ utilitatis eſt hoc corollarium cum in Philoſophia, tum in Theologia, ut temperemus ab inanibus diſputationibus, quibus utraque diſciplina illa repletur, & inquinatur. Cujus en exemplum.

Quærunt, *an unum infinitum ſit maius alio*: & adfirmant, idque probant tali exemplo. Ponamus eſſe infinitum numerum *hominum*. Cum plures in eo ſint manus, quam homines; infinitum *manuum* maius erit infinito *hominum*. Quis tamen hic non videt, nihil in diſputationem venire niſi mera verba? Nam primum ponunt, ſe concipere infinitum numerum hominum, quod tamen eſt falſum. Deinde ex rebus finitis, & quas clare intelligunt, ad rem, quam nullo modo plane intelligunt, argumentantur, nempe ad infinitum; quod etiam ineptum eſt. Proinde quidquid de *infinito* dicunt, cujus nullam habent ideam, verba ſunt omni ſignificandi poteſtate vacua.

Scholion

Doctrina de infinito *recte expoſita quanto ſit uſui ut de rebus bene multis, quæ in Philoſophia diſputari ſolent, recte judicemus, ex iis, quæ ſequentibus capitulis dicemus, evidens erit. Quare eos quaſi* corollaria *traditæ doctrinæ ſubjiciemus.*

Ca-

CAPUT VI.

De Poſſibili, & Inpoſſibili.

I.

Poſſibile definitur vulgo, *id quod nec eſt, nec fortaſſe erit, ſed eſſe non pugnat*. Vocamus autem *non pugnare*, quando perſpicue cognoſcimus, duas vel plures ideas una eſſe poſſe. v. g. Dicimus non pugnare *adamantem cæruleum tantæ molis, quantum caput hominis eſt*; quia ex iis, quæ uſu cognovimus perſpicue intelligimus, ideam *adamantis*, & *cærulei*, & *talis molis* una eſſe poſſe: proinde eſt poſſibilis.

Quod ſi pergunt, & quærunt, quid eſt *id quorum ideæ una eſſe poſſunt*; nihil amplius reſpondere posſumus, niſi *omne id quod Deus facere poteſt*: Cumque divina potentia alias & alias res ſine ullo fine facere poſſit, relinquitur *poſſibile* ex Divina potentia nos metiri debere: [1] &, quod inde conſequitur, *poſſibile late acceptum eſſe infinitum*. Itaque ſi *poſſibile* pro omni poſſibili accipitur, cum *infinito* confunditur. ſi pro aliquo poſſibili tantum, *finitum* eſt.

Hinc

[1] *Inepta eſt diviſio Poſſibilis in* intrinſecum, *cujus proprietates non pugnant*; & extrinſecum, *quod ab aliqua cauſſa condi poteſt. Nihil enim eſt poſſibile* intrinſecum, *quod non ſit poſſibile* extrinſecum, *nec e contrario: Ideoque una poſſibilitas infert aliam: cetera inania verba ſunt. Idem de* inpoſſibili *dicendum eſt.*

Hinc mirari deſinamus, nos quidquid de *poſſibili* late accepto in ſcholis tanta ingenii contentione diſputatur, nec plane mente complecti, nec aliis explicare poſse. Cum enim *infiniti abſoluti* nullam ideam habeamus; ſine idea vero infiniti de *poſſibili* judicare non poſſimus; conſequitur, de poſſibili nihil nos explorati habere, nihil conſtituere poſse. Quæ ſi intelligerent non nulli, & ſanius ipſi philoſopharentur, & alios non fatigarent ineptis diſputationibus illis de *poſſibili*, quas ignorare multo ſapientius eſt, quam iis eo modo, quo vulgares Philoſophi ſolent, reſpondere.

II.

Poſſibili reſpondet *Inpoſſibile*. Eſt autem inpoſſibile *id quod eſſe pugnat*, ſeu *quorum ideæ repugnant*, *& ſe deſtruunt*: e. g. *idem ſimul eſſe & non eſſe*: *homo irrationalis*.

Inpoſſibile autem duplicis generis eſt, alterum *abſolutum*, alterum ex *hypotheſi*. Abſolutum eſt, quod *manifeſtam repugnantiam*, *ſeu contradictionem præfert*: [1] ut *homo lapis*, *homo ratione carens*. Ex hypotheſi eſt, *quod tametſi poſſibile eſt*, *tamen*, *poſita quadam re*, *inpoſſibile fit*.

E.g. Poſſibile eſt me, dum hæc diſputo, ambulare. Sed ſi pono veluti certum, me ſedentem diſputare; fieri non poteſt quin ſedeam, dum hæc diſpu-
to

[1] *Hæ loquendi formulæ*: pugnare, repugnare, contradictio, præferre contradictionem, vel repugnantiam, ſe invicem deſtruere, *& his ſimilia ſunt verba homonyma*.

to: aliter ſimul ſederem, & non ſederem. Hæc hypotheſis eſt *contingens*, & libera. Item inpoſſibile eſt, me momento temporis Ulyſippone Romam venire, poſitis naturæ legibus. Sed ſi potentiam Dei conſideramus, fieri poteſt. Hæc hypotheſis vocatur *neceſſaria* Phyſice.

Inpoſſibile Morale eſt, *quod tametſi natura eſt poſſibile, tamen aut numquam, aut difficillime evenit*: ut *a matre ſanæ mentis occidi filium*.

His conſtitutis non ſine aliquo operæ pretio vos, Adoleſcentes, docebimus, quid in hoc negotio tenere, quid cavere debeatis, quod aliquibus propoſitionibus veluti corollariis expediemus.

Corollarium I.

Hinc quidquid de Poſſibili late accepto dicitur, temere dicitur: ideoque ejuſmodi diſputationes omnino cavendæ ſunt.

Nihil hoc canone utilius, nihil Philoſopho dignius. Cur enim nos torquebimus diſputantes de rebus, quæ intelligi omnino non poſſunt? cur alios decipiemus utentes vocabulis ſonoris & ampulloſis, quæ nullam interpretationem habent? Expendamus diſputationes, quæ de *poſſibili* inſtitui ſolent, tum vires humanæ mentis ſedulo perpendamus, plane intelligemus, nihil nos in iis videre, nihil finire poſſe.

E. g. Diſputant in eo, *An poſſibilia omnia exſiſtere poſſint*. *An poſſibilia ſuum habeant eſſe diſtinctum ab omnipotentia*. *An hoc eſſe ſit poſitivum, an negativum*. *An creaturæ poſſibiles qua tales dependeant a Deo*. *An creaturæ poſſibiles qua tales ſint prio-*

priores omnipotentia, an contra. An exſiſtentia Dei actualis ſit magis neceſſaria, quam poſſibilitas creaturarum: & hujus farinæ alia. Quis autem non videt ejuſmodi diſputationes aut puta verba eſſe, aut tales, de quibus nemo homo judicare poſſit?

Corollarium II.

Hinc illud axioma: Nullam in re video contradictionem, ergo eſt poſſibilis [*ſi de poſſibili* finito *loquimur*] *non niſi in paucis, & omnino perſpicuis eſt verum*: *plerumque tamen eſt falſum*.

Prima pars conſtat exemplo adamantis, quod ſupra dedimus; & aliis ejuſdem generis, quorum ideas plane cognitas & exploratas habemus.

Altera pars ſatis evidens eſt. Nam cum harum natura rerum, quæ oculis ſubjiciuntur, cognita nobis non ſit; potiori jure cognita non erit natura illarum, quæ numquam creabuntur, & quarum non niſi obſcuriſſimas ideas habemus. Qui igitur dicere poſſumus, nullam in earum creatione contradictionem eſſe poſſe? At non video contradictionem. Fateor: ſed qui ſcis nullam ibi eſſe? quot quamque utiles res exſiſtunt, quas tu nec vides, nec eſſe poſſe ſuſpicatus fuiſſes? Poſſum id tot exemplis efficere, quot ſunt res, quæ a Recentioribus naturæ perveſtigatoribus repertæ ſunt; quaſque non modo Scholaſtici, ſed ne veteres illi quidem Philoſophiæ, & Mathematicæ coryphæi fieri poſſe ſuſpicabantur. Itaque temere dicam, *Poſſibile eſt ut res corporea cogitet*: quia nullam proprietatem corporis cognoſcimus, quæ congruat cogitationi. Nihil

Nihil apud Scholaſticos frequentius, quam hoc axioma: nihil tamen eſt in quo facilius erretur, niſi ſapienter adhibeatur.

Corollarium III.

Hinc contrarium axioma: Video contradictionem, ergo eſt impoſſibilis; *valet tantum in iis, quæ humanæ mentis vires non excedunt, idque caute: in aliis non item.*

Conſtat primum. Nam ut judicem, an contradictio adſit, an non; oportet eſſentiam Phyſicam rei penitus cognoſcam. Itaque vires humanæ mentis excedere non poteſt. Caute tamen adhibendum: nam quædam nobis videntur contradictionem præ ſe ferre, quæ nullam præferunt.

E. g. Scholaſtici putabant, aerem tam eſſe levem, ut, dum eſſet aer, gravis natura eſſe non poſſet: quia *eſſe aerem, & eſſe natura graviſſimum*, pugnare illis videbantur. Verum nullam ibi eſſe contradictionem, perſpicuis rationibus demonſtrant Recentiores philoſophi. Quare niſi rem penitus exploremus, dijudicare non licet.

Secundum itidem evidens eſt. Nam ſi mentis aciem res, quæ ſub ſermonem cadit, ſuperat, quis niſi demens de ea judicare ſibi ſumet? Quare merito de temeritate poſtulantur illi, qui myſteria quædam noſtræ religionis, veluti Trinitatis, Euchariſtiæ, aliaque negant hoc nomine, quod ea clare non intelligunt. Qui eodem nomine negare deberent vel familiariſſima quæque naturæ phænomena, atque ipſam animi ſui, & corporis complexionem, quod eam intelligere nemo poteſt.

Caput VII.

De Simplici, & Compoſito: Toto, & Parte.

I.

EN duo vocabula abſtracta, & adeo clara, ut definitione non egeant. Quare cum ea definiunt aliqui hoc modo, Simplex eſt, *quod partes non habet*; Compoſitum, *quod habet partes*; tempus, & verba inutiliter conſumunt, nam id ipſum ſignificant duæ illæ voces. Tota igitur difficultas in hoc eſt, cum applicamus vocabula *ſimplex*, & *compoſitum* ad varia genera entium: in quo, ne pueriliter erremus, quædam præ oculis habenda ſunt.

Primum itaquè recte Philoſophi aiunt, nullum ens reapſe ſimplex eſſe, niſi ens intelligens, quod alio nomine vocamus *ſpiritum*: hoc enim ſolum eſt, in quo partes nullæ re vera nec eſſe, nec intelligi poſſunt. Contra corpora omnia, quod in partes ſecari poſſunt, nec ulla tam exilis pars eſt, quæ in alias dividi non poſſit, compoſita ſunt.

Quærunt aliqui: an aliqua ſit particula materiæ, quæ atomus ſeu individua ſit; an contra unaquæque ſit compoſita, & dividi poſſit ſine ullo fine. Hæc eſt celeberrima controverſia, de qua jam inde ab Ariſtotelis ætate, & ſupra tam acriter diſputatum eſt, ut nihil magis. Nos eam Phyſicis, ſi qui otio diffluunt, examinandam relinquimus. Tantum dicimus hoc loco, quamlibet particulam materiæ eſſe corpus: omne corpus eſſe figura aliqua præ-

prædítum: omnem figuram partem dexteram, & ſiniſtram habere. Hæ ſunt clariſſimæ proprietates materiæ, quæ a nemine ſanæ mentis negari poſſunt. Cumque corpus magnum non niſi mole differat a corpore, ſeu parte exiliſſima, habeat tamen eaſdem proprietates; relinquitur quamcumque particulam materiæ, quod figura veſtita ſit, in alias, has rurſum in alias infinite dividi poſſe.

Dices: jam nunc erunt infinitæ partes in qualibet particula materiæ, quod omnino intelligi nequit. Fateor id intelligi a nobis non poſſe: ſed alterutrum amplecti neceſſe eſt: vel negare debemus perſpicuas proprietates materiæ, ea de cauſſa, quod non intelligamus, quo modo corpus infinite ſecari poſſit: vel abſtinere ab ejuſmodi diſputationibus, in quibus nihil clare intelligere, nihil finire poſſumus. Illud philoſophis Recentioribus durum omnino videbitur. Hoc autem dignius mihi videtur vero Philoſopho. [1]

 Id

[1] *Aliqui Recentiores graviſſimi cum pro certo ponant, ex re non extenſa extenſam fieri non poſſe, putant extenſionem & ſimplicitatem una eſſe poſſe: ideoque contendunt prima elementa corporum eſſe ſubſtantias ſimplices, & extenſas. Si rationem quæris, audies hanc eſſe, quia non intelligunt, quo modo infinitæ partes in una & exiliſſima materiæ parte contineri poſſint: propterea rident Carteſianos, Newtonianos, ceteroſque, qui diviſionem in infinitum amplexantur. Sed, pace eorum dicam, mihi videntur ipſi male philoſophari.* Non intelligo, *inquiunt*, diviſionem in infinitum. Igitur negare debeo pro-

Id certum eſt, diviſionem, quæ naturæ viribus in materiam induci poteſt, non ultra quaſdam particulas compoſitas, ſeu *moleculas*, uti vocant, pro-

---

proprietates materiæ, quas clare intelligo. *Pulcra fallacia! ex infinito, quod mortalis nemo intelligit, ad rem omnino perſpicuam argumentari! Hanc ſi admittimus philoſophandi rationem, innumeras res omnino perſpicuas negare deberemus, quod eas non intelligamus: immo vero fere omnia phænomena Phyſica, quæ, ſi ingenui eſſe volumus, fateamur neceſſe eſt nobis inpervia eſſe.*

Addunt, extenſionem ſine ſoliditate in eadem re ſimplici eſſe poſſe: ut ſe habet anima hominis, quæ ſimplex eſt, & extenſa. Extenſa! cur ita? quæris? quia cum anima agat in corpus, oportet ei loco cerebri ſit præſens, in quo nervorum origo, quorum ope motus membrorum fit, exſiſtit. Nervi autem minimum in uno aliquo punctoPhyſico originem habere debent: quod punctum certe extenſum eſt. Ergo anima, quæ ei puncto præſens eſt, extenſa & ipſa ſit neceſſe eſt. Altera fallacia. At, inquiunt, ſunt in hac ſententia Rudigerus, Morus, Cudworthus, ceteri. Quid ad nos? quaſi nos Philoſophorum nomina, non rationes quæramus. Cur autem eorum philoſophandi viam rejiciamus, in promtu eſt. Primum nullam hi Philoſophi ideam claram habent naturæ animi noſtri: deinde nullam de modo, quo eſt in cerebro: tum nullam de ratione, qua movet corpus: quæ duo non niſi ex effectis probare poſſunt. Male igitur ponunt pro comperta rem, quam nullo modo intelligunt, ut inde efficiant, negari debere exten-

progredi poſſe, quod Phyſici perſpicuis rationibus efficiunt. [1] Et hæc de vocabulis ſtricta ſignificatione acceptis.

Sed Philoſophi vocabulum *ſimplex* interdum latius accipiunt, eoque res illas deſignant, in quibus nullæ partes diverſæ ſpeciei oculis diſtingui poſſunt. Sic vinum, ſic oleum, ſic adamantem vocant naturas ſimplices, quod nullam varietatem diverſarum naturarum in iis obſervent: quamquam re vera ſi eaſdem naturas diuturno igni, vel ſolis radiis ſpeculo cauſtico coactis examinemus, ut Chymici faciunt, clare cognoſcamus ex diverſis naturis varie permixtis componi.

Compoſitum autem varie etiam a Philoſophis accipitur. Aliud eſt *Phyſicum*, quod partibus conſtat, quæ ſeparari poſſunt re ipſa: v. g. *homo*, qui corpore, & mente re ipſa differentibus componitur. Aliud *Metaphyſicum*, quod ex rebus conſtat,

L 4 quæ

extenſionem diviſibilem materiæ, quam omnes perſpicue intelligunt, tametſi non intelligant, quo modo quælibet pars infinite ſecari poſſit. Quis enim, qui ſine ulla anticipatione, ſine ulla hypotheſi judicet, ejuſmodi diſputatores ferre poſſit? aut quis germanus Philoſophus non potius dicat, hæc claro intelligo: illa non intelligo? Ego vero eligo potius plane fateri, me talia nec explicare, nec intelligere poſſe, quam tales hypotheſes pro veris in hac Philoſophiæ luce viris oculatis obtrudere. Sed de his alio loco eſt diſputandum.

[1] *Vide Newtonum in* Optica Q.31. & *Muſſchenbroekium in* Elementis Phyſicæ Cap.II. §.26. ſeqq. p. m. 18.

quæ etſi re ipſa idem ſunt, tamen mente concipiuntur quaſi plura, quæ unum componunt: velut *ſubſtantia*, & *modus* ejus. Ad hanc claſſem refertur compoſitum *Logicum*, quod ex *genere*, & *differentia* [quæ itidem ſunt partes Metaphyſicæ] componitur. Sed hæc nullius uſus ſunt, &, vel auditis vocabulis, a tirone non hebete intelliguntur.

II.

Compoſitum alio nomine vocatur *totum*: & ea, ex quibus componitur, *partes*. Utraque hæc idea eſt relativa: *Totum* enim dicitur, referendo ad compoſitionem partium: *partes* ita vocantur, referendo ad alias, ex quibus fit totum. Quare eadem res relata ad diverſa, & *totum*, & *pars* appellari poteſt. v. g. Manus comparate ad hominem, eſt *pars*: comparate ad digitos, eſt *totum*. Partes porro vel *re ipſa* ſeparari poſſunt, & hæ vere ſunt partes: vel *mente* tantum ſeparari poſſunt, & hæ partes Phyſicæ non ſunt. Hæc clara ſunt, fortaſſe etiam nullius uſus aliquibus videbuntur: veruntamen uſum aliquem habent in quibuſdam controverſiis, ut eſt illa de *vacuo* Epicureorum, an ſit ſimplex, quod nullas partes re ipſa diſtinctas habeat, ut putant aliqui; an vero ex aliis ſimplicibus compoſitum, propterea quia ejuſmodi entia *intrinſece*, ut aiunt, ſeparari poſſint, quod alii defendunt.

CAPUT VIII.

De Perfecto, & Inperfecto.

NUllum vocabulum eſt, in quo facilius erretur, non ab indoctis modo, ſed etiam a Philoſophis, & Theologis, quam ſunt vocabula *perfectum*, & *inperfectum*: propterea accurate ſunt exponenda.

Vox *perfectum*, ut recte vir doctus monet, rebus arte factis primum tribui conſuevit: deinde rebus ceteris, & Deo. Definitur *perfectum* ab eodem viro docto, *quod omnibus proprietatibus, quæ ad id pertinere putamus, præditum eſt*. Quod ipſum pro varia natura rerum, varie accipi ſolet. Alterum vocatur *perfectum abſolute*, alterum *perfectum ſecundum quid*.

1. Perfectum *abſolute* vocamus id, quod omnes proprietates, quæ intelligi ſine ulla macula poſſunt, in ſinu ſuo complectitur: nec id ſolum, ſed ſingulas eo modo præſtantes, quo maius aliquid cogitari non poſſit. Hujuſmodi ſolus Deus eſt. Itaque duplex, cum Deum *perfectiſſimum* vocamus, nobis idea ſe offert: altera, Deum non modo omnes proprietates, quas animo concipere poſſumus, continere, ſed multo plures, quam nos homunculi mente percipere poſſumus: altera, ſingulas proprietates eo gradu præſtantes, ſupra quam cogitare poſſumus. Utraque hæc idea conſtituit perfectionem Dei, quia utramque ad Deum pertinere, ſeu in eo eſſe debere judicamus. Similiter cum dicimus,

mus, *Juſtitia Dei eſt perfectio*, hoc volumus dicere: *Juſtitia Dei eſt id, quod in Deo eſſe debere concipimus, & ea excellentia, quam concipimus*. Quod memoria tenere oportet, ne de vocabulo diſceptemus, ut non nulli in Theologia faciunt.

Et hinc clare efficitur, ideam, quam habemus *perfectionis* divinæ, eamdem eſſe ideam infiniti *potentialis*: nam concipimus Deum habere plures & plures perfectiones ſine ullo termino: itemque quamlibet perfectionem alio & alio gradu ſine ullo fine excellentem. Verum cum Deus re ipſa has omnes proprietates habeat, re ipſa & *abſolute* eſt infinite perfectus. Itaque Deus eo ſenſu eſt ens perfectum, quo eſt ens infinitum: hoc eſt, eſt perfectum, & infinitum *abſolutum*: concipitur tamen ut perfectum, & infinitum *potentiale*.

2. Perfectum *ſecundum quid* eſt omne ens creatum: quod duplex itidem eſt, alterum ab homine conditum, alterum a Deo. Ab homine conditum id vocatur perfectum, *quod fini, cui præſtando conſtitutum eſt, apte reſpondet*. e.g. Horologium dicitur perfectum, cui nihil deeſt eorum, quæ ad horas declarandas neceſſaria ſunt. Oratio dicitur perfecta, ſi apte ad perſuadendum compoſita eſt. Perfecta dicitur imago picta, ſi ea exprimit, quæ exprimere debet, & eo modo quo debet.

A Deo conditæ res omnes vocari ſolent perfectæ eadem ratione, nempe *cum fini, cui conditæ ſunt, re vera congruunt*. Sic res creatæ omnes, quod vel ad uſum hominum, vel ad oſtendendum potentiam, & ſapientiam Dei conditæ fuerunt, ut re vera ſe habent, perfectæ vocantur. Sic homo vocatur perfectus, ſi toto animo incumbit in amorem Dei,

Dei, cui amando conditus eſt. Verum hæc omnia tametſi alia ratione perfecta eſſe videntur, quam perfectum *abſolute*, tamen ad definitionem *perfecti* ſupra poſitam aperte revocantur: ideo enim fini ſuo reſpondent, quia ea omnia habent, quæ ad eorum naturam pertinere, ſeu iis ineſſe debere putamus.

Hæc ſi recte intellexeritis, ſine ullo labore percipietis, quo ſenſu accipi debent vocabula illa, *perfectus quod ad eſſentiam, quod ad accidentia, quod ad ſpeciem, quod ad gradum, quod ad partes*: omnium enim eadem eſt ratio, quæ ſupra. Et de rebus, quæ ſine comparatione ad alias ſpecies perfectæ vocantur, ſatis dictum.

Interdum vero cum duas res comparamus inter ſe, alias aliis perfectiores eſſe pronuntiamus. Sic dicimus, Deum perfectiorem eſſe Angelis, Angelos Hominibus, Homines Belluis, Belluas Inanimatis. Quære rationem: reperies eamdem eſſe, quam ſupra dedimus: nempe maiorem copiam proprietatum, & earum maiorem præſtantiam, quam utramque rebus illis perfectioribus deberi putamus, his non putamus. Deus enim habet proprietates rerum omnium poſſibilium, quas non habet Angelus: tum proprietates, quas Deus habet communes cum Angelo, præſtantiores ſunt: v. g. facultas cognoſcendi præſtantior eſt, propterea quia ad plura pertinet, quam illa Angeli. Quod idem de ceteris rebus creatis, quæ aliquid commune habent, dicendum eſt.

Contra, quæ nihil habent commune, alio modo perfectiora judicantur & vocantur. Nempe primum proprietates omnes, & defectus utriuſque inveſtigantur, & numerantur; quæ plures proprietates,

tes, vel minores defectus habet, perfectior judicatur.

E. g. Aurum perfectius eſt ferro, propterea quod ſi non plures proprietates habet, certe minores defectus habet. Habet enim pulcrum colorem, maiorem gravitatem, non ita facile rubigine incruſtatur, non ſanitati nocet, facilius tractatur & fingitur, omnes imagines pro lubitu minori negotio recipit: quæ ſingula contra in ferro ſe habent. Verum hæc comparatio diverſarum naturarum inter ſe plena periculi & erroris res eſt: nam cum rerum eſſentias penitus ignoremus, relinquitur nos nec vitia, nec virtutes omnes re ipſa inveſtigare poſſe, ne dum numerare. Fortaſſe, quæ inperfectiora ſunt, nobis, quod magis explorata ſint, perfectiora videbuntur. Proptera abſtinendum eſt ejuſmodi comparatione.

Corollarium I.

Hinc nulla in rebus corporeis eſt perfectio ſimpliciter & abſolute, ſed comparate, id eſt referendo ad finem.

Nempe res omnes corporeæ ſi utiles ad finem ſuum conſequendum ſunt, *perfectæ* vocantur; ſi inutiles, *inperfectæ*: immo & perfectæ, & inperfectæ referendo ad diverſa. e. g. Aurum *perfectius* eſt ferro ad ornatum, & ad commercium: *inperfectius* eſt ad ſecanda corpora, ad arandum, & reliquas artes plebeias exercendas; quæ ſine ferri uſu conſiſtere nullo modo poſſunt, ſine auro utique poſſunt.

Corollarium II.

Hinc nullæ [ſi unam excipis] *rerum ſpiritualium perfectiones, ut Angelorum, & Animorum humanorum, abſolutæ ſunt, ſed comparatæ fini.*

Eadem eſt ratio, quæ ſuperioris: quod ſingulas, quæ vulgo habentur perfectiones, percenſenti, & expendenti evidens eſt.

E. g Melius, id eſt perfectius eſt homini habere animum inmortalem, quam mortalem, ſi referimus ad finem, ad quem conditi ſumus, nempe æternam beatitudinem, & intuitum Dei. Sin autem ad perpetuam pœnam, quam damnati ad inferna paſſuri ſunt, tunc melius erat Judæ v. g. *ſi natus non fuiſſet*: [1] id eſt, ſi vel numquam exſtitiſſet, vel mortalem animam habuiſſet. Item, ſi fingimus ſpiritum aliquem nec ad pœnam, nec ad beatitudinem æternam natum eſſe, nec eam conſequi poſſe; ærumnis tamen, quas miſeri mortales patimur, eſſe ſuppoſitum, tam bonum ei eſſe poſſet inmortalitas, quam mortalitas. Similiter ſapientia, potentia, ceteraque, quæ *perfectiones* vocantur, ſunt aliquid melius, & perfectius comparata ad Angelum bonum, vel hominem innocentem, qui iis utitur ad finem ſuum, nempe conſpectum Dei conſequendum. Quod ſi eas ad Angelos malos, vel homines æternis pœnis damnatos referimus, in quibus hæ res nihil aliud faciunt, quam odium, deſperationem, ceteraque mala augere, pœnaſque & da-

[1] Matthæi Cap. XXVI. v. 24.

& damni, & ſenſus graviores facere; tunc melius eſſet eis rebus illis omnibus carere: propterea non bona, ſed mala vocanda ſunt. Quis enim perfectionem & bonum vocabit illud, quod gravioris mali, & infelicitatis cauſſa eſt?

Dixi *ſi unam excipis*: nam *perpetua beatitudo*, & quæ illam augent, vel ad eam proxime ducunt, illa ſunt, quæ natura ſua, & ſine ulla comparatione ad aliud perficiunt ſpiritum creatum ſemper, & omni loco: ideoque ſola illa, ut recte ſecundum alios monet Cl. Buffierius, pro abſoluta *perfectione* haberi poteſt.

Corollarium III.

Hinc male definiunt Scholaſtici perfectionem hoc modo: Quæ melior eſt ipſa, quam non ipſa, ſeu ejus contraria: *ſumto ſubjecto non pro tali re, ſed pro* ente.

Nam, ut ante diximus, nulla proprietas præter beatitudinem æternam deſignari poteſt, quæ ſit melior ipſa, quam non ipſa: ſed omnes ſunt bonæ, vel malæ referendo ad diverſa. Qui enim melius eſt corpori generatim ſumto eſſe album, quam nigrum? rotundum, quam quadratum? florem, quam metallum? moveri, quam quieſcere? Quod ſi non de una, aut altera ſpecie, ſed de ente in univerſum loquimur, ut Scholaſtici faciunt, clarius cognoſcitur, quam inepta ſit ejuſmodi definitio: ut ex adductis exemplis aperte efficitur. Tolle relationes omnes ad diverſa, cogita ens nude ſumtum, doce cur illi ſit melius eſſe corpus, quam ſpiritum; belluam, quam ferrum; roſam, quam ci-

cibum; numquam profecto docebis: hæc enim non niſi comparata cum fine, vel bona habentur, vel mala.

Corollarium IIII.

Hinc contraria ratione de Inperfecto judicandum eſt.

Nempe *Inperfectum* eſt id, quod non eſt perfectum, ſeu quod caret proprietatibus perfecti. Deinde de *Inperfecto* non niſi ex fine, an ſit, & quale ſit, judicandum eſt. Cetera eodem modo.

CAPUT VIIII.

De Bono, & Malo.

B*Onum* itidem finis alicujus reſpectu vocari ſolet; proptereaque commode definitur, *id quod ad finem ſuum conſequendum utile eſt*. Tolle finem omnem, boni omnis rationem ſuſtuleris. Quod quam vere dicatur, unuſquiſque per ſe diligenti inductione facta cognoſcere poteſt: nulla enim res adduci poteſt, quæ bona recte dicatur, neque ſit ordinata ad aliquem finem. Quod ſi curioſius examinamus, qualis ſit finis earum rerum, quæ vulgo *bona* vocantur, reperiemus unum eſſe, nempe gaudium, & tranquillitatem hominis, eamque vel temporariam, vel æternam. Fateor id non ſemper primo adſpectu menti ſe offerre; ſed ſi rem diligenter expendimus & odoramur, veriſſimum eſſe intelligemus. Quod ipſum aliquibus exemplis multo

fa-

facilius, quam longa oratione, demonſtrari poſſe nobis perſuademus.

E. g. Philoſophi aiunt, *res omnes creatas eſſe bonas*. Cur ita? quia cognoſcunt eas ad utilitatem hominum, ad quam conditæ ſunt, vel proxime, vel remote conducere. Sed multo magis id cognoſcit Deus, qui eas ſapientiſſimo conſilio noſtri cauſſa fabricatus eſt. Hæc autem utilitas nos in hac vita gaudio cumulat, tranquilloſque, quantum miſeri mortales eſſe poſſumus, facit. Item dicimus, talem quemdam cibum eſſe bonum, talem veſtitum bonum, talem domum bonam, talem equum bonum, talem ſervum bonum, ceteraque generis ejuſdem. Quære rationem, invenies ad aliquem finem bona, id eſt utilia eſſe. Cibus nempe eſt bonus ad delectandum, ad tuendam, vel recuperandam ſanitatem: veſtitus ad repellendum frigus, ad retinendam dignitatem ordinis, ad placendum hominibus urbanis, & reliqua: domus bona eſt ad habitandum vel ample, vel ſtricte, pro uniuſcujuſque familia, dignitate, commodo: equus eſt bonus ad equitandum, ad conficiendum celeriter iter, ad reſiſtendum labori: ſervus eſt bonus ad procurandam, & augendam rem familiarem, & ejuſmodi alia. Quare ſi ſingula accuratius examinamus, quæ dicantur hujus vitæ bona, finem illico animadvertemus, gaudium, & ſecuritatem.

Illa ipſa bona, quæ primo intuitu ad gaudium noſtrum referri non videntur, reapſe referuntur: e. g. Adjungit quis animum ſuum ad ſtudium litterarum, ad rem militarem, ad nauticam artem: multa & difficilia patitur, inſomnes noctes degit, moleſtias plures devorat, objicit corpus armis, peri-

periculis, tempeſtatibus, feris belluis. Quis non dicet, ejuſmodi hominem pro fine habere mala plura pati? Perge tamen: quære cur tantis ſe ſe incommodis exponat? invenies finem ſibi ponere, vel lucrum, vel honorem, vel gloriam. Quid gaudium, & animi tranquillitas? quid? hæc certe ex illis proficiſcuntur. Lucrum enim, inquiet, & honor, & gloria me delectant, me gaudio cumulant, commoda mihi multa procurant, tranquillitatem animi pariunt. Quære, an aliquis tam diligenter, & laborioſe hæc perquirat, ut perpetua triſtitia, & perturbatione animi adficiatur? nullum invenies. Et de bonis naturæ hactenus.

Bona autem, quæ *ſupernaturalia*, & *moralia* vocamus, eadem ratione bona dicuntur: nempe quia utilia ſunt ad gaudium ſupernum, & æternam ſecuritatem, atque adeo felicitatem vel conſequendam, vel augendam. Hac de cauſſa virtutes dicuntur bona: ærumnæ etiam a Deo inflictæ ſunt bona: & cetera, quæ nos magis magiſque in virtute proficere faciunt.

Corollarium I.

Hinc bonum honeſtum, *&* utile *non niſi ex fine diſtinguuntur.*

Nempe utrumque gaudium habet pro fine. *Honeſtum* tamen ſeu morale gaudium quærit, quod naturæ rationali conveniens eſt: quod ipſum eſt verum, & permanens gaudium. *Utile* vero, ut ab honeſto diverſum eſt, reſpicit gaudium, quod cupiditatem hominis tantum explet: ſed permanens non eſt, immo vero multis variationibus ſuppoſitum, propterea ſolidum gaudium non eſt.

 Co-

Corollarium II.

Hinc judicare non poſſumus, an aliquid ſit bonum, *quin prius finem, ad quem dicitur bonum, conſtituamus.*

Hæc eſt natura rerum, & vocabulorum, quæ *relata* dicuntur, ut in Logica ſcriptum reliquimus. [1] Quæ ſi mente tenuerimus, pleraſque controverſias *de bono*, & *malo* vitabimus, quæ etſi graviſſimæ non nullis videntur; tamen ex hoc fonte proficiſcuntur, quod diſputantes non conſtituunt, cui fini res aliqua dicatur bona, vel mala.

Corollarium III.

Hinc contraria ratione nullum eſt malum abſolutum, *ſed* relativum.

Nempe referendo ad finem vel naturalem, vel ſupernum, cui ſi obſtat, atque ut eum conſequamur impedit, *malum* eſt.

E. g. Si bos ob debilitatem, vel ægritudinem ad arandum non eſt aptus, habetur malus. Si actiones noſtræ liberæ a lege deviant, id eſt nos a fine ſuperno deducunt, vocantur malæ moraliter.

Corollarium IIII.

Hinc inepte Theologi non nulli aiunt, quædam eſſe mala quia prohibita, quædam prohibita quia

[1] L.II. p.1. cap.xi. §.3. corollar. & p. 2. cap.v. §. 3.

quia mala: *quarum ultima internam malitiam habere putant*.

Nullum enim eſt malum morale ſine lege. Quædam ſunt prohibita lege Eccleſiaſtica, & Civili: quædam lege Divina vel ſcripta, vel ore tenus tradita: quædam lege Naturæ, quam Deus inpreſſit mentibus ſingulorum, ut naturæ ratione, quid bonum, quid malum ſit, internoſcere poſſimus. Tolle has leges omnes, peccata omnia ſuſtuleris. Quare, quæ dicuntur *probibita quia mala*, ſunt re ipſa prohibita a lege vel Divina Poſitiva, vel Naturali: ſeu, ut clarius loquamur, ſunt prohibita a lege æterna, quam Deus vel naturæ ratione, vel divina locutione nobis manifeſtavit, vel utroque modo propoſuit.

Caput X.

De Ordine, & non Ordine.

Tertium eſt vocabulum *Ordo*; quod reſpectu finis & p[illegible]erri, & conſiderari debet. Definitur vulgo: *apta diſpoſitio partium ad finem aliquem*. Et quamquam Philoſophi verba *ad finem aliquem* plerumque non adjungant; tamen reapſe ita eos intelligere, & intelligi debere, negabit nemo, qui conſideret, demto fine, nullam rem aptam, nullam recte diſpoſitam dici poſſe. Ad quid enim aptum, ad quid recte poſitum ſeu diſpoſitum aliquid dicetur, niſi ad finem, quem vel mihi pono, vel ab aliis poni debere puto? Sed hæc exemplis clariora faciemus.

Percurramus ſingula, quæ ordine facta dicantur,

tur, ubique finem aliquem apparere reperiemus. Finge te intrare hortos aliquos amœnos, in quibus & arbores in quincuncem poſitæ, & ambulationes bene complanatæ viridibus incluſæ, hinc & illinc vel arboribus, vel roſis, vel violis, vel jaſmino veſtitæ ſe offerant: & viridia proſpiciantur, ubi & arbuſculæ tanta arte conſitæ ſint, ut diverſas figuras, quaſi vermiculato opere exhibeant; & vaſa floribus onuſta alia aliis reſpondeant, & fontes arte facti e terra erumpant, vel ex eminenti per canales ſumma induſtria conſtructos humor ſponte profluat. En illico demirans ais: *Quam pulcra ſunt hæc! quanto conſilio facta! quam miro ordine poſita!* Hæc vel inprudenti cuique ex intimo pectore erumpunt. Fac ad te redeas, ut apud te ſis, ut philoſophari tecum paullіſper queas: interoga te ipſum: *Cur ordine poſita dico? qualis eſt iſte ordo?* & clare cognoſces, te ita dixiſſe, quia vel primo adſpectu illico animadvertiſti, ejuſmodi ordinem eſſe aptiſſimum ad delectandum tum oculos, tum animum: proindeque idem eſſe *conſilio* factum, ac *ordine* factum. Quod ſi dubitas adhuc, retorque oculos alio, ubi arbuſculæ, & arbores nullo artificio conglomeratæ oculis ſe offerant: an ordine hæc poſita dices? numquam profecto. Cur ita? quia non ſunt apta ad delectandum. Delectatio igitur hoc caſu eſt finis ordinis.

Sed nos alio convertamus. Ingrediamur domum aliquam, vel palatium, in quo & veſtibulum, & conclavia, & ſingulæ partes apte & ordine poſitæ dicantur. Quære cur ita dicamus? invenies cauſſam eſſe, quia ad bene & commode habitandum cum magna familia ex uniuſcujuſque digni-

gnitate idoneam eam eſſe videmus. Itaque finis ordinis eſt, bene & pro dignitate habitare, ejuſque commodo & ornatu delectari. Sic Orationis partes dicuntur ordine poſitæ, ſi ita diſpoſitæ ſunt, ut docere, ut delectare, ut movere audientes poſſint: quod ipſum eſt apte ad perſuadendum dicere. Sic cetera, quæ ordine condita putantur, ad aliquem finem ita ſe habere dicuntur.

Corollarium I.

Hinc ordo ſine aliqua cauſſa intelligente concipi non poteſt.

Nam ordo ſine fine nullus eſt: finis ſine cauſſa intelligente, & hunc finem ſibi conſtituente, intelligi nullus poteſt. Res enim, quæ intelligentia carent, nullum finem habent. e. g. Lapis dum ex alto decidit, non habet pro fine ad terram tendere, ſed tendit quia ita lege naturæ conſtitutum eſt.

Corollarium II.

Hinc omnes mundi partes, quod ad certos effectus ſeu fines ordine poſitæ reperiuntur, ab aliqua mente conditæ & ordinatæ ſunt.

Quod ſingulæ naturæ partes ad certos fines conſtitutæ ſint, in pleriſque perſpicuum omnibus eſt: in reliquis, quæ non adeo evidentia ſunt, Philoſophis præſertim Recentioribus [1] demonſtratum eſt.

[1] *Vide Boylium* in Tractatu de Cauſſis Finalibus, & *Ray* De la Sageſſe de Dieu dans les ouvrages de la

Corollarium III.

Hinc, qui dicunt, ea, quæ ordine poſita ſunt, caſu & nullo conſilio eſſe facta, *inania verba fundunt, quibus ſignificandi vis nulla ſubjicitur*.

Nam dicere, horologium e. g. quod non niſi a noſtris hominibus ſummo conſilio fabricari poteſt, ut horas diei demonſtret, caſu eſſe factum; idem eſt ac dicere, eſſe factum ſine conſilio, quæ manifeſta contradictio eſt: tum eſſe factum ab aliqua cauſſa, quam nos intelligere non poſſumus, cujuſque nullam habemus ideam. Hæc vero mera verba ſunt.

Scholion.

Quanti momenti ſint hæc tria Corollaria, ubi recte & in Phyſica, & in theologia Naturali diſputemus, ſuis locis pro merito demonſtrabimus: hoc loco ſatis fuerit utilitatem indicare.

Caput XI.

De Pulcro, & Deformi.

Vocabulum *Pulcrum* itidem, ut ſuperiora, eſt relativum. Quidquid dicant inepti aliqui, qui longo ſermone efficere aggrediuntur, eſſe aliquam

---

la creation. *Sed præter ceteros hoc argumentum illuſtravit Derham* Demonſtration de l'Exiſtence de Dieu dans les ouvrages de la creation. 4.

quam rem abſolute, id eſt ſimpliciter & ſine ullo ad alium reſpectu pulcram.

Hinc multa & Veteres, præſertim Platonici, & Recentiores philoſophi dixere, quæ mihi, ut dicam quod ſentio, implicatiorem rem ipſam fecere, quam nudum vocabulum *pulcrum*: nam multo facilius homines, audito vocabulo *pulcrum*, certam ideam deſignant, quam auditis controverſiis illis tam obſcuris, & inutilibus.

Mihi vero commode definiri videtur Pulcrum, *id quod placet*: *id eſt vel viſum, vel auditum delectat*: nec aliud intelligunt homines cum tali vocabulo utuntur. Pulcra videtur facies aliqua uni; cur ita? quia illi placet. Pulcra appellatur villa, urbs, domus, templum, veſtis, ſymphonia ſonorum, quia illi placent. Cetera ſi examinas, non alia ratione pulcra haberi videbis, niſi quia viſum, vel auditum gaudio complent: ſeu, ut accuratius loquar, hominis animum vel viſus, vel auditus ope gaudio perfundunt. Itaque, quæ palatum molliter adficiunt, non pulcra, ſed jucunda, grata, ſuavia vocantur: quæ viſum, & auditum blande adficiunt, pulcra vocantur: quamquam rebus, quæ viſum delectant, frequentius tribuatur ejuſmodi vocabulum.

Porro quemadmodum tam incredibilis eſt in guſtu varietas, ut pauci eodem cibo delectentur, immo vero eorum, qui delectantur, non omnes eodem modo, & eodem gradu adficiantur; ita de viſu eſt dicendum: ideoque nulla certa notio *pulcritudinis* conſtitui poteſt.

E. g. Aethiopibus pulcra facies eſt, quæ labia inmodica habeat hinc & illinc ſatis tortuoſa, na-

ſum vero quam depreſſiſſimum : facies etiam notis, & figuris variis compuncta ipſis pro pulcritudine eſt. Sinenſibus naſus & ipſe depreſſus, oculi & exigui, & ſemiaperti, color ſubfuſcus, ceteraque ejuſmodi pulcerrima videntur. Contra Aſiatici plurimi, & Europæi hæc fugiunt : amant colorem album, ceteraque quam emendata. Sed non omnes eodem modo. Quibuſdam gentibus Europæis oculi cæſii, vel cærulei, capilli flavi in præcipua parte pulcritudinis ponuntur. Contra vero Romani veteres, Italique recentiores omnes capillum, oculoſque nigros in deliciis habent : hæc ſola pulcerrima vocant : proceritatem corporis itidem in pulcritudinis partes referunt, cetera hujuſmodi.

Qui igitur rectius judicant? neutri profecto : vel, ut verius dicam, omnes recte dijudicant : ſinguli enim id approbant, quod ipſis placet : & recte quidem. Veruntamem cum certo ſciamus, AEthiopes, cum apud nos degunt, formas iſtas elegantiores Europæas non modo non aſpernari, ſed amare; hoſque & alias gentes, quæ nigrore delectantur, præ cetera Europa, Aſia, Africa fere nihil eſſe; dicendum videtur, eam, quam vocamus pulcritudinem Europæam, quod plures ſuffragatores habeat, ceteris eſſe præferendam.

Sed hic iterum Philoſophi aliqui : quænam; inquiunt, ex his formis Europæis pro vera regula pulcritudinis haberi debet? Quod qui diſputant, quam inepti ſint, nullus non videt. Nam ſi pulcrum eſt, quod ſingulis placet; nulla certa regula, nulla imago in ſe, & ſimpliciter pulcra deſignari poteſt. Veruntamen non incommode hæc res exiſtimari poteſt ex numero eorum, qui ei ſuffragantur : Nam

Nam quod pluribus, & cultioribus, & elegantioribus formarum ſpectatoribus placere ſolet, id pulcrius ſit neceſſe eſt. Placent autem præter ceteras figuras humanas, procera ſtatura, & juſta habitudo corporis, quæ nec valde ſit ampla, nec tenuis: color albus roſeo rubore perfuſus: facies longa magis, quam orbiculata: frons ampla: oculi & ampli, & nigri: naſus nec ſimus, nec aquilinus, nec craſſus, nec longus, ſed recte ductus, & gracilis: os exiguum, & rubicundum: dentes albi, non exiles, non ſeparati: aures exiguæ: manus, pedes exigui, teretes, ceteræque partes quam emendatæ. His accedere debet veluti condimentum, quædam & vis ac mobilitas oculorum, & majeſtas oris, & elegans motus corporis. Quæ adeo ad pulcritudinem neceſſaria ſunt, ut plurimæ, quibus id defuit, minime placuerint: quæ vero hæc tria habuere, etſi mediocres formæ, pro pulcerrimis habitæ ſint. Sed formam, quæ omnia ante dicta habeat, plurimos ſuffragatores habere nemini dubium eſt. Erit igitur pulcerrima omnium.

Ita judicant omnes, quibuſcum vivimus: ita exteri: ita judicaſſe veteres & Græcos, & Romanos ſtatuæ, quas in Urbe videmus [ſi excipias imagines quorumdam virorum, quæ ex vero expreſſæ erant] tum mulierum aliquarum, tum Dearum, tum Mercurii, Apollinis, certorumque adoleſcentium, & puerorum declarant, quæ lineamenta, & *proportiones*, ut vocant, quas ſupra poſuimus, ſi colorem excipis, præ ſe ferunt. Ita judicant pictores, ſtatuarii, cælatores inſigniores, qui ea, quæ magis eruditis oculis placent, magiſque vetuſtis & celeberrimis ſtatuariis placuere, in ſuis

ſuis artificiis exprimere & imitari ſolent. Hanc ipſi regulam pulcritudinis habent: hanc & nos habere debemus. Quod adeo verum eſt, ut Itali homines, qui pictura, & ſculptura præter ceteras gentes nobilitati ſunt, cum faciem aliquam emendatam offendunt, ut id aliquo vocabulo commode explicent, aiunt, *habere lineamenta faciei ſecundum diſciplinam pictorum ducta*. [1]

Quod ſi pergunt, & quærunt, cur forma, quæ ex pictorum idea conformata ſit, & cetera, quæ ſupra diximus, habeat, magis hominibus ſingulis placeat, quam aliæ; ingenue fatebor, me id nullo modo intelligere poſſe, ne dum explanare. Quod minime mirum videri debet: nam nec illud intelligi poteſt, cur quidam cibi aliquos delectent, aliquos non item, alios male habeant: tamen quin res ita ſe habeat nullus dubitat. Quis enim homuncio conſilia Dei inveſtigare & definire ſibi ſumet?

Quod ſi in re adeo obſcura ex conjectura philoſophari licet; exiſtimarem, cauſſam eſſe, quia emendatior forma aptior eſſe videtur ad eum uſum, ad quem Deus ſingulas partes condidit. Nam ſi ſingulas partes oris ad calculum revocamus, haud operoſe intelligemus, ea, quæ emendatiora ſunt, ad id aptiora videri. Nam oculi ampliores facilius imagines externas excipiunt, & quoquoverſum moventur, quam ſemiaperti. Quod ſi multum promineant, peccant alia de cauſſa: & facile a corporibus externis offendi poſſunt. Naſus rectus, exiguus, ad ſuum munus exequendum ſatis eſſe vide-

[1] *Italica lingua vocantur*, Fattezze pittoreſche.

videtur: figura ſima, aquilina, ſurſum verſa, ad id nihil conferunt. Os exiguum itidem ſatis eſt ut homo loquatur, ſpiritum ducat, cibum, potionemque accipiat, ceteraque faciat, ad quæ labra modica ſufficiunt. Os vero magnum, labra inmodica, incurva, inopportuna ad ea, quæ diximus, ſunt. Similiter de capite, de manu, de pede, de trunco judicabimus: ſi nimis hæc ſunt exigua, ad tuendum, & conſervandum corpus non ſufficiunt: ſi nimis magna, importuna, nam paullo minora ſatis erant. Cumque ſingulorum mentibus veluti inpreſſum ſit, ea naturæ opera, quæ ſimpliciora ſunt, & ad finem conſequendum ſufficere videntur, præferri debere; conſequitur magis hæc placere debere, quam cetera, quæ plurimis rebus non neceſsariis abundant. Jam color roſeus iccirco placere magis videtur, quod ſanitatem quamdam corporis, quam omnes amant, præ ſe fert. Eadem ratione albugo oculorum, quo magis eſt alba, non pallida, non lineis ſanguineis diſtincta, magis placet. Cumque albugo magis conſpicua ſit, cum pupillæ vel obſcuræ, vel nigræ prope ſunt; propterea nigri oculi, quod ſingulas partes magis diſtinguere faciant, magis placere debent. Cetera eodem modo non incommode explicabis. Sed hæc pro conjecturis habeas.

Corollarium I.

Hinc quo pluribus hominibus, doctis, indoctis; ruſticis, urbanis; res aliquæ placent, eo pulcriores ſunt.

Corollarium II.

Hinc, quæ omnibus, qui eam intuentur, placet, pulcerrima omnium haberi debet.

Hoc ſenſu Deus eſt omnium entium pulcerrimum, propterea quia omnibus, qui eum in cælo intuentur, ita placet, ut neceſsario rapiat in amorem ſui. Iis vero, qui oculis fidei eum conſpiciunt, ejuſque proprietates mirabiles ex effectis rebus continenter explorant, adeo placet, ut ad ſe prorſus convertat animos, ſuique faciat amantes, ac præ eo terrena ac mundana cuncta deformia, & nulla ſint.

Corollarium III.

Hinc contraria ratione de Deformi *eſt judicandum.*

Caput XII.

De Neceſſario, & Contingenti.

Conſideremus nunc duo illa vocabula, *Neceſſarium*, & *Contingens*, quæ itidem relativa ſunt. *Neceſſarium* definitur vulgo, *id quod non poteſt non eſſe*. Quid autem eſt, *quod non poteſt non eſſe?* id quod a nulla cauſsa deſtrui poteſt. Quænam hæc eſt cauſsa, materia, an ſpiritus? Materia eſse non poteſt: nam quemadmodum materia non dat eſse materiæ, ita nec eſse tollere poteſt. Igitur ſpiritus, iſque liber. Ideoque *neceſſarium* explicari de-

debet hoc modo: *Quod a nulla cauſſa libera deſtrui poteſt*. Cumque ſolus Deus a nulla cauſsa ejuſmodi deſtrui poſſit, ſolus neceſsarium ens eſt. Hæc vocatur neceſſitas *abſoluta*.

Res autem creatæ omnes tametſi aliæ ab aliis deſtrui non poſsunt, a Deo deſtrui certe poſsunt, propterea neceſsariæ non ſunt: nihil enim Deo nolente exſiſtit, aut exſiſtere poteſt. Igitur res creatæ non ſunt *neceſſariæ*, ſed *contingentes*: id eſt, poſsunt eſse, vel non eſse. Tantum *neceſſariæ* haberi poſſunt comparatæ inter ſe, poſitis naturæ legibus, quæ hos & illos motus præſcribunt: quæ vocatur neceſſitas ex *hypotheſi*. Poteſt tamen Deus, ut leges naturæ ſancivit, ita eas impedire [ut in miraculis, quæ vires naturales ſuperant, videmus] ideoque reſpectu Dei ſunt *contingentes*. Sed exemplo aliquo lucem ſupra dictis adhibeamus.

E. g. Quæcumque in mundo, præſertim in hoc orbe terræ, eveniunt, etſi neceſsaria videantur, & ex proximis cauſſis neceſsario proficiſcantur, tamen, ſi rem debito modo conſideramus, ex libera cauſsa ultimo pendere, vel creata, vel increata, mirabundi reperiemus. De creata primum dicemus, idque exemplo docebimus Philoſophis familiari. Morbus peſtilens, qui homines, ac belluas abſumit, ex cauſsa Phyſica neceſsario naſcitur, vel aere, vel vermibus, vel contagione alicujus corporis lue AEgyptiaca adfecti. [1] Hæc cauſſa rur-

[1] *Peſtem omnem, quæ vere hoc nomine digna ſit, & quæ Veteribus incognita fuit, adeo ut ipſe Hippocrates peſtem ex contagione provenire ignoraverit;*

rurſum vel ex ingenti multitudine cadaverum, quæ poſt inſignem aliquam cladem exercitus inhumata jacent, vel ex depravatione ſanguinis ob corruptos cibos, eorumque caritatem, & reliqua. Jam caritas ciborum, cladeſque exercitus bellum pro cauſſa habent, ex quo agrorum cultura impeditur, cibi carius venduntur, &, quod inde fit conſequens, pauperiores omnes depravatis, & corruptis cibis nutriuntur. Hæc neceſſario nexu alia ex aliis proficiſcuntur. Belli autem quænam eſt cauſſa? libera voluntas Regum, Dynaſtarum, Rerumpublicarum, quorum alii alios pro lubitu aggrediuntur. En omnia a cauſſa libera profluunt. Eodem modo de pleriſque morbis, qui pleroſque inficiunt, & tollunt, judicandum eſt: qui, ut ut neceſſarii videntur, tamen ex electione libera hujus, vel alterius vitæ generis, ſumtione hujus, vel alterius cibi, & potionis naſcuntur. Et hæc de cauſſa libera creata.

Jam ab increata ac libera voluntate omnia, quæ in mundo neceſſario nexu alia aliis ſuccedunt, proficiſci, negari non poteſt. Cogita quemcumque effectum Phyſicum, v. g. effectionem plantæ, vel floris: hæc ex humore, qui canales radicis ingreſſus eſt, proficiſci videtur: hæc res ex apta natura terræ: hæc rurſum ex calore vel ſubterraneo, vel Solis, qui eam tepefecit, aptamque, ut plantas procrea-

---

rit; propterea quia vocabulo λοιμὸς *etiam febres epidemicas, quæ pro vera peſte non habentur, appellaverit; in AEgypto natam eſſe, & ex ea regione ad ceteras gradum feciſſe; demonſtratum eſt celeberrimis Medicis Hoffmanno, & Mead.*

crearet, reddidit: Solis calor ex ipſa natura Solis, qui ſecundum leges ſapientiſſime præſcriptas vim ſuam ad terram uſque diffudit: leges autem naturæ ex libera voluntate Dei. En primum principium rerum. Simili ratione de ceteris effectis judicabimus, uſque donec ad leges naturæ, atque adeo ad liberam conditoris voluntatem perveniamus.

Nihil igitur niſi a libera cauſſa, ſeu primo principio proficiſcitur? nihil. Quid *caſus*? quid ea, quæ *fortuito* evenire dicuntur? Quæ, malum, hæc vox *caſus* eſt, quæ nihil omnino ſignificat. Quære cauſſam hujus, quem vocas, *caſus*, reperies, vel cauſſam neceſſariam eſſe, vel duas, neceſſariam, & liberam. Videmus ſæpenumero in lapidibus figuras aliquas vel hominis, vel belluæ: eaſque *caſu* a natura factas eſſe dicimus: inepte, nam poſitis naturæ legibus, ſi diverſa ſimul concurrant, ejuſmodi figuram neceſſario naſci debere certum eſt. Quod nos, quia naturæ vires, & concurſum cauſſarum exploratum non habemus, caſu & ſine conſilio factum eſſe putamus. Item cum quis inambulans labitur in foveam, & contunditur, caſu evenire dicimus. Male profecto, nam partim conformatio plateæ, partim libera voluntas hominis, qui recte ambulare non curavit, cauſſa fuere lapſus, & contuſionis. Quæ nos, quod ea non animadvertimus, quod cauſſam liberam a neceſſaria ſecernere non valemus, quod in cauſſis neceſſariis ſingula, quæ obſtant, & oculos fugiunt, non adtingimus; vocamus *caſum*, incuſamus *caſum*, cum nos accuſare deberemus, qui inprudentes nos periculis objecimus, nec ea declinare ſedulo, uti deberemus, curavimus: vel etiam noſtram ignorantiam, & arrogantiam incuſare,

ſare, qui ea finire aggredimur, quæ nulla humana inveſtigatione intelligi, & explicari poſſunt.

Corollarium I.

Hinc omnia, quæ ſecundum naturæ leges neceſſaria ſunt, abſolute neceſſaria reſpectu noſtri *haberi poſſunt*.

Nos enim cauſſas neceſſarias ne agant impedire non poſſumus: interdum effectus, corpus declinando, vitare poſſumus.

Corollarium II.

Hinc ea, quæ in rebus moralibus neceſſaria vocamus, non niſi ex hypotheſi neceſſaria ſunt: abſolute contingentia ſunt.

Duplex autem eſt hypotheſis: altera, quæ non niſi frequenter, & *moraliter*, uti vocant, effectum infert; altera, quæ ſemper infert. Prima hoc modo: Homo poteſt inebriari, & temperans eſſe; iraſci, vel eſſe clemens. Tamen ſi ponimus, hominem vino deditum cauponam ingredi, ubi congerrones ſuos potantes offendat; vel ſi ponimus, iracundum contumeliam inſignem coram populo pati; moraliter neceſſarium eſt, illum inebriari, hunc iraſci. Secunda hoc modo: Homo poteſt peccare, & a peccato reſipiſcere. Tamen ſi ponimus, hominem peccatis obrutum per totam vitam in peccatis eſſe, & ita mori, neceſſarium eſt eum pœnas inpœnitenti debitas perſolvere,

Co-

Corollarium III.

Hinc libertas voluntatis eſt origo ac fons omnis contingentiæ: nec ſine contingentia libertas ulla intelligi poteſt.

Quæ enim in rebus Phyſicis ſunt contingentia, ita vocantur reſpectu divinæ voluntatis. Quæ vero in rebus moralibus, & liberis, [1] ita ſunt reſpectu voluntatis humanæ: quæ vel poteſt id facere, vel non facere, in quo vera ratio *contingentiæ* conſiſtit. Sed de libertate voluntatis humanæ in Pſychologia diſputabimus: de libertate Dei in Theologia. Tantum hoc loco adtingenda fuit origo *contingentiæ*.

CAPUT XIII.

De Naturali, & non Naturali.

ETiam relativum eſt vocabulum *Naturale*, ejuſque contrarium *non Naturale*, propterea quod ea referimus ad naturæ leges, vel artis. Varie autem

N

[1] Bonum *clare propoſitum optare*, malum *clare propoſitum refugere*, *animo noſtro neceſſarium eſt*. *Item propoſitioni* evidenter veræ *adſentiri*, evidenter falſæ *diſſentire*, *ita menti noſtræ eſt neceſſarium*, *ut aliter facere non poſſit*. *In hoc animus noſter eſt liber*, *ut adſentiatur propoſitioni*, *quæ dubia*, *ſeu non clara ipſi videtur*: *ut amplectatur bonum*, *de quo*, *bonum*, *an malum ſit*, *dubitet*: *id eſt*, *quod*

tem ſumitur vocabulum *Naturale*:ſed duplex eſt acceptio celebrior : ex qua quædam duci poſſunt, quæ finiendis pleriſque decertationibus non inutilia videntur. Quamobrem de utraque ſeparatim dicendum eſt.

1. Primum igitur *Naturale* vocamus illud, quod non eſt *artificiale*; ſeu, ut Logici vocare amant, opponitur *artificiali*.

E. g. Fons aquæ vivæ, qui ſine ullo artificio e terra prorumpit, dicitur *naturalis*: quod ſi artificium accedat, ita ut eadem aqua urna aliqua excepta, & proprio pondere in canalem plumbeum ſubterraneum ruens, rurſus aliquot inde paſſus per foramen arte factum e terra erumpat; tamque alte aſcendat, quam alte lapſa eſt; ut in hortis, & viridariis arte conſitis paſſim ſe offert; vocatur *artificialis*. Item fraga, quæ in ſilvis naſcuntur, vocantur *naturalia*: quod ſi in hortis ſerantur, colantur, ita ut ſuaviorem ſaporem edant, vocantur *artificialia*: quia quantum artificii ac culturæ accedit, tantum ſuavioris ſaporis accedit.

Hæc ſi probe intelligimus, nullo negotio cetera, quæ *naturalia* vulgo habentur, & appellantur, explicabimus. Sic etiamſi magna eſt varietas aquarum, quarum aliquæ ſulphureæ ſunt, aliæ nitroſæ, aliæ ſalſæ, aliæ ferri guſtum præferentes, aliæ aliter, ut hic in Italia, præſertim prope Neapolim

---

quod non clariſſime ei objiciatur: itemque in rebus, quæ nec bona, nec mala ſunt, ſed indifferentia *vocantur. Hæc tamen alios & alios gradus ſuſcipiunt, ut in* Logica *docuimus, & fuſius in* Pneumatologia *exponemus.*

poſim non ſine admiratione obſervamus; tamen quia omnes ita ſe habent ſine ullo artificio humano, propterea *naturales* dicuntur. Quod ſi humor Cheminiæ artis ope ex aliquo corpore extrahatur, non erit naturalis, ſed artificialis. Quod idem de ceteris humoribus dicendum eſt. Sic homo ruſticus dicitur *naturaliter eloquens*, ſi nulla arte, nulla meditatione ita dicit, ut aliis id, quod cupit, perſuadeat: vel ſaltim apte ad perſuadendum loquatur. Contra vero ſi homo ex Rhetoricæ artis præceptis commode dicit, *artificialis eloquentia* vocatur. Quod ſi præcepta non recte intelligit, non commode adhibet, ſed in omnibus multus eſt, artem ſuam jactat, ſe ſe oſtentat; non *arte excultus*, ſed *adfectatus*, ſed *ineptus*, ſed *pedantes* vocatur.

Quidquid igitur non arte, non conſilio, non labore, ſed impetu quodam naturæ fit, ſeu, ut verius dicam, ſecundum naturæ leges evenit, *naturale* vocatur. Quod arte adjutrice fit, etſi naturale ſit, *artificiale* nominatur. Quod ſi evenit ſecundum naturæ leges, ſed præter ſolitum, ſeu contra id, quod tali naturæ debetur, vocatur *non naturale*. Ut febris, quæ quidem ita palpitationem & cordis, & arteriarum agitat, ut dicantur eſſe in ſtatu *non naturali*: & corruptio pomi, aquæ, vini, ceterarumque rerum, quæ cum earum naturam depravet, dicuntur ejuſmodi res eſſe *non naturales*.

2. Deinde *Naturale* illud vocamus, quod non eſt *ſupernaturale*, id eſt, non ſuperat naturæ vires, ac leges.

E. g. Quod Sol ab orientali ad occidentalem plagam decurrat, *naturale* eſt: quod vero dum eſt in meridie ad orientem retro volvatur, eſt *ſupernatura-*

 tura-

turale, quia nullis naturæ viribus id effici poteſt, ut evidens eſt.

Jam vero ſunt quædam res naturæ legibus adeo clare repugnantes, ut nemo ſanæ mentis dubitare poſſit, quin ſupra naturæ vires ſint. v. g. Quod puellus bimeſtris, quod aſina Balaam loquantur: quod morbus acutus, quod tibia fracta momento temporis ſanentur: & ejus generis alia, in quibus ipſa rei evidentia eſt criterium ut ſupernaturale, & naturale diſtinguamus: nemo enim, ut ut indoctus, & ruſticus, non, hæc ſi facta videat, præter naturam eſſe dicet.

Quædam vero ſunt, quæ etiamſi ſupra naturam ſint, tamen non niſi ab homine bona Philoſophia exculto, beneque exercitato judicari poteſt, an naturalia ſint, an præter naturam. Bonam Philoſophiam cum dico, non Peripateticam intelligo, quæ naturæ obſcuritatem ac myſteria nec inveſtigat, nec pandere curat. Quot enim Peripatetici adhuc ſunt, in hac Philoſophiæ luce, in tanta litterarum cultura, quibus ſi narres mirabilia naturæ, quæ machinæ Pneumaticæ auxilio panduntur; ſi ea, quæ microſcopio deteguntur; ſi Electricorum corporum, præſertim aeris electrici mirabiles effectus minutatim exponas; non ſibi ſomnia & fabulas narrari putent? Quid ſi tale aliquid non meditati offendant? miraculum dicent, vel malum dæmonem pro cauſſa dabunt. Quare niſi bona Phyſica, & Logica exculti, atque contriti, de viribus naturæ judicare non poſſumus: immo vero plerumque judicium cohibere debemus, quod naturæ vires, quo pertineant, nondum exploratum habemus. Nam ſi tanta tamque mirabilia in dies deteguntur, quæ nos

hos non dico vera, ſed nec poſſibilia, & veriſimilia judicare umquam potuiſſemus; quis niſi arrogans aliquis & ineptus conſtituet, naturæ leges hoc facere poſſe, hoc non poſſe?

E. g. Cecidit puellula quædam in puteum, & in aquam merſa dimidium horæ permanſit. Extrahitur exanimata, excutitur, & paullo poſt reviviſcit. Clamant omnes a Deo eſſe miraculum. Res ad Phyſicos defertur: rem expendunt: intelligunt, foramen ovale [1] ſi apertum ſit, quod in adultis interdum ſe offert, [2] & aditum ſanguini dederit, poſſe corpus humanum aliquamdiu ſine aere vivere. Non igitur mortua dici poterat. non beneficio Dei reviviſcere. Fortaſſe ſupra naturam erit. ſed dum

 explo-

[1] *Fetus in utero matris ſpiritum non ducit. Sanguinis vero pars maior per* foramen ovale [*quod ab auricula dextera cordis ad venam pulmonarem pertingit*] *in ipſam venam pulmonarem, atque adeo in ſiniſtrum ventriculum cordis inlabitur: pars ſanguinis, quæ in ventriculum dextrum decidit, per* truncum arterialem [*qui canalis ab arteria pulmonari ad arteriam magnam, ſeu aortam ducitur*] *in ipſam aortam prorumpit, ex qua in reliquas arterias, & rurſum per venas ad auriculam dextram cordis pervenit. Sed tum* foramen ovale, *tum* arterialis truncus, *cum fetus aerem accipit, & reſpirat, plerumque clauditur.*

[2] *Id ego in ſectione humani cordis aliquoties vidi: ex quo efficitur, ejuſmodi homines ſine aere aliquamdiu vivere potuiſſe: & haud ſcio an ii, qui in fundo maris vel gemmas, vel aliud quæritant, non ejuſmodi ſint.*

exploratum non habemus, an foramen ovale clauſum ſit, cetera conſtent, *miraculum* dicere non poſſumus.

Corollarium.

Hinc de rebus inſolentibus caute judicare debemus, ne ea pro miraculis habeamus, quæ talia non ſunt.

Utiliſſimum eſt hoc corollarium ut occurramus ineptienti multitudini indoctorum, & vero etiam eorum, qui cetera docti, tamen, quod bonæ Philoſophiæ expertes ſint, proni ſunt, qui annoſæ cuilibet femellæ miraculum a Deo factum aliquod narranti fidem habeant. Merito ergo *Sacra Congregatio Rituum* miracula, quæ pro referendo aliquo homine in Sanctorum album ad eam deferuntur, acri Phyſicorum judicio ſupponit. Ex quo conſequitur, ut ex magna miraculorum copia ſæpiſſime pleraque, interdum vero omnia rejiciat: nec niſi ea calculo ſuo probet, quæ extra omnem dubitandi rationem poſita ſunt.

Caput XIIII.

De Duratione ſeu Tempore.

I.

D*uratio* eſt itidem, ut cetera, relativum nomen. Definitur a quibuſdam Recentioribus: *Continuata rei exſiſtentia*: non id quidem inepte ad explicandam vim nominis, inepte tamen ad explicandam-

candam rei naturam: nihil enim plus explicat, quam nomen *Duratio*. Commodius explicaretur: *Exſiſtentia rei, quam concipio plurimis ſibi ſuccedentibus periodis vel motus ſolaris, vel alterius conſtantis motus reſpondere*. Non igitur eſt idem *exſiſtentia*, & *duratio*: exſiſtunt etiam illa, quæ momento & ſunt, & pereunt; durant vero, quæ per aliquam temporis menſuram, nempe horas, dies, menſes exſiſtunt, & illis reſpondere animadvertimus. Ex quo efficitur, durationem ſine ſucceſſione intelligi non poſſe. Tum enim concipimus rem *durare*, cum concipimus tot dies, vel menſes exſiſtere: [1] item tum concipimus hanc *durare magis* quam *illam*, cum concipimus hanc per plures dies, vel menſes durare. Itaque ex duplici illa idea, & *exſiſtentiæ rei*, & *ſucceſſionis cui reſpondeat*, & a qua menſurari poſſit, fit idea complexa *durationis*, ſeu *temporis*.

Duplex itaque ſucceſſio in duratione cogitanda nobis ſe offert: Altera vera, nempe diverſus ſtatus rerum, quæ durant, quarum aliæ oriuntur, aliæ depereunt, aliæ mutantur: itemque ſucceſſio perceptionum, & adfectionum, quæ in animo continenter evenit. Hanc vocare poſſumus *Phyſicam*: Altera ficta, nempe ſucceſſio illa exſiſtentiarum rei, quam cogitamus reſpondere ſingulis partibus motus ſolaris, vel ſingulis perceptionibus noſtris. Hanc vocare poſſumus *Metaphyſicam*.

[1] *Id ipſum declarat vis hujus verbi* durare, *quod apud Latinos ſcriptores boni ævi ſignificat*, perſiſtere, perſeverare; *id eſt, per aliquam temporis menſuram* continuate exſiſtere.

Quod ſi quæris, cur nulla res durare a nobis concipiatur ſine ſucceſſione, cauſſas invenies veriſſimas duas. Altera, quod a teneris unguiculis rerum exſiſtentium ideàs accipimus conjunctas cum idea ſucceſſionis motus ſolaris, id eſt horarum, dierum, menſium, annorum. Altera, & præcipua, quod eas tantum res durare dicimus, de quibus plurimas ideas, quarum aliæ aliis ſibi ordine ſuccedant, habemus: quæ ideæ ſingulis momentis certos nos faciunt nos eſſe, ſeu exſiſtere, continuatamque exſiſtentiam demonſtrant. Nam ſi tollis hanc ſucceſſionem, ideam omnem durationis tollis.

E.g. Qui ſomno profundo merſi nihil ſomniant, vel ſomnii memoriam non habent, quod hanc ſucceſſionem idearum non advertant, facile exiſtimant, ab initio ſomni ad vigiliam nullum tempus fluxiſſe. Item qui in uno aliquo objecto diutius defixi ſunt, quod ideas ſingulas diutius contemplentur, nec alias & alias ideas diverſæ ſpeciei animo obverſantes ſentiant, tantum ſibi tempus elapſum fuiſſe, quantum profecto fuit, non animadvertunt. E contrario, qui cupiunt, qui timent, qui ſperant, quod plura animo volvant, plures adfectus contrarios ſentiant, deſiderii, timoris, ſpei; quod ideas, quæ diſplicent, vitare curent, iiſque alias gratiores ſubſtituere; quod diutius unam ideam intueri non poſſint; quod horas, quod momenta numerent; cum tantam idearum multitudinem, quæ menti continenter ſe offerunt, advertant, vel exiguum tempus, quod talia cogitantes conſumunt, diuturnum, ſempiternum eſſe ſibi perſuadent. Ex quo conſequitur, ut qui talibus adfectibus vehementer agitati ſunt, inſomnes noctes degant, iiſque

que ſingulæ noctis partes anni, ſæcula videantur.

Ridet hoc loco quidam Philoſophus Lockium, ejuſque doctrinam confutare aggreditur talibus argumentis. Primum, quod etſi unam tantum ideam haberemus, præſertim moleſtam, nihiloſecius durationis ideam haberemus: deinde, quod Deus ſine ulla ſucceſſione cognoſcit ſe durare. Sed magis ipſe eſt ridendus, qui talia objiciat. Unde, quæſo, hauſit ipſe, nos tali caſu ideam durationis habituros, cum numquam id fuerit expertus? unde habuit, quo modo Deus ſe durare cognoſcit? De re igitur loquitur, cujus nullam habet ideam: propterea audiendus non eſt. Hoc magis, quod hoc loco de idea durationis ſermo eſt, quam nos habemus, non quam Deus habet. E contrario doctrina Lockii & clara eſt, & unicuique propria experientia evidens, & aliorum teſtimonio confirmata.

II.

Porro ex dictis conſequitur, neminem ſibi eſſe poſſe certam regulam ſeu menſuram durationis: propterea quod ex diverſa adfectione animi, uti diximus, aliis longior, aliis brevior rerum duratio videtur. Oportuit ergo certam & conſtantem normam, quæ omnibus nota ſit, omnibus eadem, conſtituere, ex qua, quanta ſit duratio rerum, definire poſſimus. Plurimæ profecto eſſe poſſunt, quæ id præſtarent. Nempe ſi flores certis intervallis conſtanter & naſcerentur, & redirent: [1] ſi gallus

[1] *Cæcos notos ſine errore annos numerare ex frigo-*

lus gallinaceus certis fixiſque periodis cantaret, ut in gallicinio facit: ſi nos fame, vel ſiti certis periodis fatigaremur: ſi globus Solis certis intervallis conſtanti motu creſcere, & decreſcere videretur: hæc & ejuſmodi alia eſſe poſſent norma, ex qua rerum durationem æſtimare poſſemus. In iis vero, qui ad oras Oceani habitant, periodicus fluxus, & refluxus maris & ipſe norma eſſe poteſt. Sed πρόνοια illa Dei, quæ mundum adminiſtrat, nobis ambitum, & periodum tum Lunæ, tum Solis diurnam, & annuam claram & conſtantem oculis expoſuit, quæ id ipſum quam commodiſſime facere poteſt: propterea nationes fere omnes cultiores in dimitiendis rerum durationibus, vel Lunæ, vel Solis periodis ab omni memoria uſæ ſunt.

Jam vero duratio rerum duplicis generis eſt, *finita*, & *infinita*. Finita eſt, quæ initium, & finem habet: ut ſunt omnes modi, v. g. curvitas, quadratura, quos videmus & eſſe, & paullo poſt non eſſe: quæ duratio *temporalis* vocari poteſt, ſeu tempus. Infinita itidem eſt duplex: altera initio, & fine caret, cujuſmodi ſolus Deus eſt: hæc vocatur *æternitas abſolute*: altera initium quidem habet, finem non habet: ut anima noſtra, quæ in æternum tempus duratura eſt. Hæc a non nullis *ævum*, ſeu, ut alii malunt, *æternitas poſteri*... appellari ſolet. Sed uſum vocabulorum ſingulis relinqui-

frigore, & calore, ex recurſu certorum florum, & fructuum vere, æſtate, autumno, nemini ignotum eſt.

quimus, modo ſignificatum nominis conſtituamus. [1]

Corollarium I.

Hinc duratio nihil aliud eſt, quam res ipſa durans, quæ aliis & aliis perceptionibus animi noſtri reſpondet; ſeu aliis & aliis motus ſolaris partibus.

Clare conſequitur ex dictis: propterea que amplius inluſtranda non eſt.

Corollarium II.

Hinc motus Solis, ac Lunæ non eſt tempus, ſed menſura temporis, ſeu durationis creatæ.

Plerique homines *durationem*, ſeu *tempus* cum menſura talis durationis, ſeu motu Solis confundunt. Inepte: nam cum Sol conſtitit ad imperium Joſue; cum Sol nullus erat, nec Luna, ut in prima rerum factione, in qua per tres dies fuit lux ſine Sole, & Luna; [2] tamen materia illa condita, & res

---

[1] *Latini Auguſteo ævo* æternum tempus *non pro* æternitate poſteriori, *ſed pro diuturno tempore acceperunt: quo ſenſu & nos, dum alia explicaremus, aliquando uſurpavimus. Item hæc tria*, æternitatem, *in* æternum, *&* ævum, *non ſenſu Philoſophico ſemper, ſed interdum pro diutiſſimo tempore;* ævum *etiam pro ætate hominis, qualiſcumque ſit, acceperunt; interdum pro* æternitate abſolute.

[2] *Cum prima die, in qua Lux condita fuit, non-*

res omnes creatæ durarunt per id tempus. Item ſi Deus aſtra omnia conſiſtere faceret tanto ſpatio, quantum neceſſarium eſt ad annuam periodum Solis, reliqua ut ſunt relinqueret, quis neget res omnes per id tempus duraſſe? Quid? cæci nati nonne annos bene intelligunt, & numerant, quin motum Solis percipiant, quin talis motus ideam habeant? Ipſi etiam indocti, qui talia confundunt, tam diverſas ideas *temporis* ſibi fingunt, ut interdum ſibi non conſtent. Modo enim *tempus* vocant motum Solis: modo, cum cælum vel clarum, vel nubilum inſpiciunt, aiunt, *tempus eſſe ſerenum, vel nubilum*: in quo de aere loqui eos manifeſtum eſt. Recte itaque intelligenda hæc ſunt, & vulgares loquendi formulæ ex diſciplina Philoſophorum emendandæ. Quare cum dicimus, *Deum ante omne tempus eſſe*, ita intelligamus: *ante omne tempus, id eſt durationem creatam*: & *ante omnem menſuram temporis, ſeu ambitum Solis*.

Corollarium III.

Hinc partes temporis ſeu durationis creatæ neceſſario nexu complexæ non ſunt, ſed divina voluntate complexæ: id eſt, aliæ aliis Deo volente ſuccedunt.

Ex eo enim quod res aliqua hoc momento temporis

---

non dum eſſent globi aliqui, non terra, non aſtra, nec etiam viventia, nulla cauſſa erat cur Lux illa creata circum chaos moveretur: quod ex Scriptura non incommode deducitur: propterea motus non erat.

poris exſiſtit, non ſequitur exſiſtere debere poſt horam, ſeu continuate exſiſtere. Quare non niſi ab eo, qui eam exſiſtere primo fecit, hoc habet, ut ſingulis *momentis* exſiſtat: id eſt, ut tam diu exſiſtat, quam diu ſatis eſt ut diverſis perceptionibus animi reſpondeat. Deus enim, ut eam eſſe voluit, ita poteſt eam amplius eſſe nolle: ideoque amplius non erit. Quod ut faciat, non opus habet aliqua re creata, quæ vocetur actio: ſed intellecta ſeu poſita volitione Dei, ut ſit, vel non ſit, res ponitur, vel tollitur: ut capite ſequenti dicemus.

Corollarium IIII.

Hinc merito tempus irrevocabile dicitur.

Nam cum tempus ſeu duratio creata ſit rei perſeverantia per aliquot partes motus ſolaris; qui ait, *tempus revocari poſſe*, hoc ait: *fieri poſſe, ut, quod perſeveravit, non perſeveraverit*: id eſt, *quod præteriit, non ſit præteritum*: quæ aperta contradictio eſt. Poteſt quidem Deus facere, ut res perſeveret veſtita iiſdem modis: ſed facere non poteſt ut, quod evenit, non evenerit: ſeu, ut præteritum non ſit præteritum, ſed præſens. Quare non niſi in verbis eſt difficultas.

Corollarium V.

Hinc durationem Divinam non aliter concipere poſſumus, quam concipiendo in Deo quamdam ſucceſſionem exſiſtentiarum tum ante tempus creatum, tum poſt, quæ reſpondeant aliis & aliis ſæculis ſine ullo fine.

Sci-

Scimus enim certo, idque & naturæ ratione, & multo magis Divinis litteris edocti, in Deo nullam eſſe ſucceſſionem Phyſicam: ſed Deum ſimul habere, & eſſe totum id, quod eſt. Verum cum æternitas ſit quid *infinitum abſolutum*, non alio modo intelligi poteſt, niſi inſtar *infiniti potentialis*: [1] ſeu ut res, quæ reſpondeat *infinito potentiali* annorum, tum ante omne tempus creatum, tum poſt: Qui modus concipiendi nullam in Deo inperfectionem ponit, ſed tantum mentis noſtræ inbecillitatem accuſat: non aliter, ac ratio concipiendi infinitam potentiam Dei, infinitam extenſionem ſeu præſentiam, nihil inperfectionis in Deo ponit. Qui ſecus ſentiunt, doceant, amabo, unde habeant ideam infinitæ durationis abſolutæ: numquam profecto docebunt: & quidquid reponent, ad *infinitum potentiale* redibit. Sed de his jam ſupra, ubi de infinito, diſputavimus.

Corollarium VI.

Hinc etiamſi evidenter demonſtretur, Deum eſſe æternum; tamen, quo modo eſt æternus, quo modo æterna duratio elapſa fuerit, a nobis definiri non poteſt.

Conſequitur ex dictis: nullam enim *infiniti abſoluti* ideam habemus lumine naturæ. Vellem hoc monitum animo infixum tenerent ii, qui tam fidenter de natura æternitatis divinæ, deque rebus, quæ ab æterno fieri, vel non fieri poſſunt, judicant: abſtinerent profecto a plurimis quæſtionibus, quæ nulla induſtria humana finiri; nec ullo modo æternita-

[1] *Repete quæ diximus hujus libri cap. 5.*

nitatem Dei labefactare poſſunt. Aliud enim eſt ſcire, *Deum eſſe æternum*, & *infinitum*; aliud, *quo modo* utrumque habeat. Illud clarum, hoc ſcrutari non poteſt. Merito itaque a viris doctis ridetur quidam recentiſſimus Philoſophus, qui germanam ſe dediſſe ideam æternitatis divinæ in ſua Metaphyſica ſine ulla hæſitatione pronuntiat, & gloriatur. Sed de his in Theologia dicemus.

CAPUT XV.

De Cauſſa, & Effectu.

Reliqua ſunt vocabula *Cauſſa*, & *Effectus*; quæ comparate inter ſe dici nemo non videt. Cauſſa, quæ aliquid efficit, definitur ab Ariſtotele: [1] *Primum principium motionis, aut quietis*. Quæ definitio non incommode ad bonum ſenſum revocari poteſt. Itaque Cauſſa definiri poteſt: *Res quæ efficere poteſt, ut aliqua mutatio in rerum natura eveniat*. Hanc eſſe germanam ideam, quam omnes ſibi faciunt, audito nomine *cauſſa*, perſpicuum eſt. Quare quidquid dicant illi, qui alias definitiones cauſſæ pro lubitu condunt, remque plane perſpicuam obſcuris vocabulis involvere aggrediuntur; id certum, & exploratum omnibus eſt: Ubi aliqua in rerum natura mutatio evenit, illico intelligitur eſſe aliquod ens, ex quo talis mutatio proficiſcitur: ens iſtud vocatur *cauſſa*, mutatio vero *effectus*, quæ ſunt vocabula relativa, ſeu correlata, uti vocant. [2] Por-

[1] Phyſic. L.II. c.3. text.29.

[2] *Ens ut aptum facere talem mutationem, vocatur*

Porro hæc definitio omni cauſſæ creatæ aptari poteſt, vel corporea ſit, vel ſpiritalis. e. g. Corpus, quod in aliud inpingens id movet, aliquam in eo mutationem facit, nempe a quiete ad motum: proinde dicitur cauſſa motus. Item animus noſter, dum res percipit, dum aliquid vult, dum voluptate perfunditur, plurimas mutationes in ſe facit, perceptionis, volitionis, voluptatis: item dum brachium pro lubitu movet, mutationem in brachio facit. Ergo eſt earum *cauſſa*. Perbelle etiam Deo cauſſæ rerum creatarum definitio accommodatur. Nam cum Deus vult aliquod ens, e. g. animum fetus humani, qui in embrione ante non erat, eſſe in præſenti; fit mutatio in ipſa re a non eſse ad eſse, quia exſiſtit animus, qui ante non erat: item fit mutatio in rerum natura, quæ aliquid habet, quod ante non habebat. Hæc adeo clara ſunt, ut probatione non egeant.

Jam vero explicare, *quo modo cauſſæ agant*; id eſt tales mutationes ſeu effectus efficiant, tam eſt obſcurum, ut nihil magis. Quidquid enim Philoſophi

---

catur cauſſa, potentia, facultas, *quæ ſunt homonyma. Mutatio eo inſtanti, quo evenit, ſi ad cauſſam, ex qua hoc modo exit, refertur, vocatur* actio & cauſalitas: *ſi ad rem, in qua evenit, vocatur* paſſio. *Ipſum facere talem mutationem, vocatur* agere, producere effectum; &, *ſi ad vivens creatum refertur, quod aliud vivens faciat, vocatur peculiariter* generare: *ſin ad Deum, qui ex non ente aliquod ens faciat, dicitur* creare, efficere, condere. *Hæc tamen reapſe nihil aliud ſunt præter* cauſſam, & effectum.

ſophi pro explicanda hujuſmodi re hucuſque dixere, ſunt mera verba omni ſignificandi vi vacua: rem ipſam clariorem non fecere. Merito ut ego mirer non nullos, qui aliquid a Deo factum eſſe negant, quod non intelligant, quo modo factum ſit: quaſi ipſi intelligant, quo modo res creatæ gignant effectus ſuos, id eſt aliæ agant in alias. Quod ſi plane ſecum reputarent, quam magna talium rerum ignoratione laboremus, & de Deo ſapientius judicarent, [1] & inanes ejuſmodi diſceptationes multo ſtudioſius vitarent. Sed id uno & altero exemplo perſpicuum fiet.

1. E. g. Semen plantæ, quod eſt quædam planta exiliſſima complicata, uti microſcopio exploratum eſt, dum ſeritur, ſuccum alibilem terræ ad ſe trahit, qui ſuccus [2] canales exiliſſimos plantæ ingreditur, explicat, auget, nutrit, donec planta ipſa oculis diſcerni poſſit. Hæc nos animo reputantes dicimus, *terram agere in ſemen*, & *generare plantam*: terram eſſe *cauſſam*, plantam natam eſſe *effectum*. Et recte quidem. Sed quo modo ſuccum ad ſe trahat, quo modo canales explicentur, au-

[1] *Sunt qui explicare ſibi ſumant*, quid ſit actio Dei in res creatas: *item*, quo modo Deus agat ab æterno, *quid ſit* cognitio, *quid* voluntas Dei, *& cetera ejuſmodi: qui ſi vires ſuas pro merito expenderent, plane faterentur, ſe de re loqui cujus nullam claram habent ideam: id eſt, inania verba fundere. Sed de his in Theologia erit dicendum.*

[2] *Succum* alibilem *ex terra, oleo, ſalibus, aqua conſtare, ſuſpicantur recentiores Chymici. Vide Mariotte* des Plantes *p.* 23. 33. *&c.*

geantur, nutriantur, nemo intelligit. Tantum ſcimus, ex ſemine terræ mandato naſci ſeu erumpere plantam, quæ ſuccum & alimentum accipit ex terra: nihil amplius. Itaque qui ſibi perſuadent, ſe claram ideam habere generationis plantæ, delirant.

2. Item globum A manu motum dum in globum B impingit, eum movere, vel pueri pila ludentes animadvertunt: propterea dicimus, globum A eſſe cauſſam motus globi B: recte & commode ad explicandum novum iſtum effectum. Sed quis intelligit, quo modo globus A det motum globo B? nemo profecto. Dices: videmus clare globum A impertire motum globo B. Verba: nam id ipſum quæritur, *quid ſit communicare* ſeu *impertire motum*. Videmus, poſito motu globi A, moveri globum B: ſed, quo modo ex primo motu naſcatur ſecundus, nec videmus, nec ulla ratione intelligere poſſumus. Deinde intelligi non poteſt, quid ſit *communicare motum*. Nam motus re ipſa nihil aliud eſt, niſi corpus tali modo modificatum: cum autem globus A non det corpus ſuum globo B, nec etiam motum dare & communicare poteſt. Tam enim eſt poſſibile, ut motum communicet, non communicato corpore ipſius globi moventis; quam eſt poſſibile, communicari rotunditatem, colorem, ceteroſque modos, qui reapſe ſunt ipſum corpus, corpore ipſo non communicato. Nihil igitur de cauſſa motus corporum definire poſſumus.

3. Venio ad ſpiritum creatum. Animus noſter dum objectum corpus cognoſcit, vel cupit, mutatur, ſeu ex non cognoſcente fit cognoſcens, ex non volente volens. Quare dicitur cauſſa cognitionis, & volitionis: dicitur agere cognitionem, & volitio-

tionem: utrumque recte. Item cum vult movere brachium, quod reapſe movetur, dicitur agere in brachium: cauſſa eſſe motus brachii: & id quidem recte. Perge tamen: quære, quid ſit agere perceptionem, & volitionem? quid, brachium movere? hic nobis aqua hæret: maximas tenebras offendimus, in quibus nihil omnino videmus: labyrinthum ingredimur, ex quo nulla humana induſtria expedire nos poſſumus: & quo plus pergimus philoſophando, eo magis irretimur. Igitur & hic de modo agendi conſtituere nihil poſſumus.

4. Jam increatus ſpiritus quo modo in res creatas agit? & id prorſus ignoro. Scio, intellecta a me in Deo æterna volitione condendi animum infantis certo definitoque tempore, animum ejus exſiſtere. Hic nihil aliud video, niſi novum effectum, poſita illa volitione, quæ, ut fides docet, & ratio ipſa demonſtrat, æterna ſit neceſſe eſt: propterea quia in Deo nulla mutatio fit: quidquid habet ab æterno habet. Quo autem modo velit agere, quo modo rem efficiat, ſeu *agat effectum*, & effectus, qui non erat, exſiſtat, neſcio: ſi pergo, & inveſtigare rem ulterius conor, nihil proficio, tenebræ undique ſe offerunt.

Quod ſi creatarum rerum agendi ac producendi vis nullo prorſus modo intelligitur, minime mirum videri debet ſi non intelligamus, quo modo ſpiritus ille increatus & infinitus det eſſe rebus creatis: id eſt, res ipſas creet, efficiat, condat.

Corollarium I.

Hinc actio, ſeu agere Dei in res creatas, & O 2 *age-*

agere rerum creatarum in alias, nobis ex æquo obſcura ſunt.

Conſequitur ex ſupra dictis. Hoc differunt, quod in rebus creatis interdum oculis ipſis cauſſam videmus, & effectum: nempe videmus motum corporis B evenire poſito motu corporis A: in rebus autem, quæ a Deo ſolo conditæ ſunt, effectum videmus, & ſentimus; cauſſam vero non niſi face vel fidei, vel rationis præeunte, videmus.

Corollarium II.

Hinc quidquid Philoſophi diſputant de actione cauſſarum in effectus, ſeu de modo, quo ipſæ effectus agant, & efficiant, verba ſunt atque ineptiæ.

Plane infertur ex dictis. Itaque Philoſophus, qui vere hoc nomine dignus eſt, de modo, quo cauſſæ agunt, nihil diſputat: ne verba inania fundat, quibus nulla poteſtas ſubjiciatur, & quæ nos doctiores non faciant. Laudo quidem eos, qui proximas cauſſas effectuum Phyſicorum explorant, ut ſcite de viribus naturæ dijudicent; ne eas pro cauſſis habeant, quæ cauſſæ non ſunt, falſiſque principiis auditorum, qui iſta ſcire cupiunt, mentes imbuant: eos vero, qui rem pro explorata ponunt, quæ intelligi nequit, non laudo. [1]

Co-

[1] *E. g. Qui præſidio Machinæ Pneumaticæ oſtendunt aeris pondus cauſſam eſſe plurium effectuum, quos aliis cauſſis tribuimus, ii quidem recte faciunt: qui vero explicare volunt, quo modo particulæ aeris conformatæ ſint, ut tales effectus generent,*

Corollarium III.

Hinc celeberrima controverſia, An creatæ res agant, an vero ſint occaſio cur Deus agat, *de verbis tantum eſt diſputatio*.

Incredibile dictu eſt, quam acriter Philoſophi jam inde a Carteſio de hac controverſia decertarint: quam multa ſcripſerint ut contrarias ſententias pro virili parte defenderent! Carteſiani, & præter ceteros Malebranchius, contendebant, *creatas res nihil agere*: *ſed Deum occaſione motuum corporis hos, & illos effectus vel in animo, vel in aliis corporibus efficere*: ſpiritum itidem non agere in corpus, *propterea quia in idea, quam ſibi fecerant ſpiritus, nullam facultatem reperire poterant movendi corpus*. Hæc & alia multa Carteſiani, quibus non modo Peripatetici, ſed plurimi Recentiores reclamabant: adeo ut etiam nunc hujuſmodi controverſia vigeat in ſcholis.

Verum ſi rem pro merito æſtimabimus, clare videbimus, ad definitionem verbi *agere* & *efficere* controverſiam totam hanc gravem reduci. Nam ſi *agere* & *efficere* tum dicitur, *cum mutatio in aliqua re perpetuo evenit ad præſentiam alterius, cui mutatio tribui ſolet*, ut ſupra definivimus; nemo ſanus negabit, ignem in corpore ſibi proximo calorem agere: itemque animum noſtrum motum, cum brachium movere vult, in brachio agere: propterea

O 3

rent, nihil faciunt: conjectare interdum poſſunt, idque pro conjecturis proponere; definire vero non poſſunt.

mi, quænam corporis noſtri: cur mentes aliquæ celerius percipiant, aliæ tardius, aliæ ne tarde quidem eadem percipiant. Negare igitur hæc omnia debemus: quo quid abſurdius? Itaque Philoſophi eſt non pronuntiare, certi effectus aliquam eſſe cauſſam, quin exploratum habeat, reapſe cauſſam eſſe. At non eſt Philoſophi exponere, qualis ſit natura cauſſæ, quo modo effectum faciat, ſi modo id explorare non poteſt; nec etiam negare ea, quæ clare videt, quod, quo modo fiant, non intelligat. Immo vero maxime Philoſophi eſt plane atque ſincere fateri, ſe ſcire id, quod certo ſciat; neſcire, quod neſciat: nec decipere Lectorem inanium ſono verborum. Porro nos naturam animi noſtri clare cognitam non habemus: nullum igitur principium certum habemus, ex quo judicare poſſimus, animum noſtrum non habere facultatem movendi corpus. E contrario cum conſtantem experientiam habeamus, poſita voluntate movendi, moveri corpus; dicere debemus, corpus ab animo moveri: eique experientiæ adquieſcere, nec rem perſpicuam negare, quod, qua ratione fiat, non adſequamur.

Paucis, inquies, ſi hæc vera ſunt, in hac vita philoſophabimur: pauca nos certo ſcire in rebus Phyſicis exiſtimabimur. Pauca profecto, & pauciora multo, quam plerique, qui Philoſophi haberi cupiunt, ſuſpicantur. Recte ut Philoſophi, ſecundum Lockium, contendant, nos, ſi pleraſque diſputationes, quæ clare expoſitæ judicantur, ad germanas bonæ Logicæ regulas accuratiſſime exigamus, clare intellecturos, etiam illas, quæ præter ceteras celebres & graviſſimæ reputantur, ex non

ſatis clare definitis vocabulis proficiſci : quæ ſi recte definias, evaneſcunt. Ex quo intelligitur, quantam gratiam habere debeamus paucis illis, qui vere Eclectici, vere Philoſophi ſunt; id eſt, qui non niſi ex ideis claris, ex principiis perſpicuis, & certis philoſophantur, propterea quod hypotheticam illam Carteſianorum, & Gaſſendianorum philoſophandi viam rejecerunt, inaneſque quæſtiones præciderunt, quæ incommodi ſatis, utilitatis vero nihil humanis diſciplinis adferebant. Sed de his alio loco diſputavimus.

Concludendum eſt igitur, cum videamus, poſito igne, poni calorem; ſublato igne, perire calorem; item poſita volitione, moveri brachium; non poſita, quieſcere; niſi inepti eſſe volumus, dicere debemus, *calorem oriri ab igne, motum brachii a voluntate*.

Dixi *niſi inepti ſimus*: quia cum omnes homines ſanæ mentis ita loquantur, itaque judicent, calorem ab igne effici, motum brachii ab animo volente; plane conſequitur, hunc ſenſum communem eſſe, hanc vocem naturæ. Qui ſecus ſentiunt, dicere etiam debent, hominem ab homicida non occidi, nec homicidam pœnas dare debere. At omnes Reſpublicæ bene conſtitutæ homicidam dignum pœna judicant, eumque capitis damnant. Sentiunt igitur ab eo homicidium patrari. Jam ergo voluntas movet corpus ut malum faciat.

Hinc ad ceteras cauſſas corporeas facilis eſt argumentatio. Tam enim certus ſum, manum meam movere plumam, qua hæc ſcribo, quam certus ſum, *eſſe manum*, *eſſe plumam*. Quæro, cur non dicimus, *ignem refrigerare, nivem calefacere?* quia num-

numquam tales effectus experti ſumus. E contrario cum ſemper experti ſimus, *nivem refrigerare*, *ignem calefacere*, dicere debemus, hos effectus ab illis cauſſis oriri. Præterea, qui clarius & certius eſt, *hominem generare hominem*, quam *ignem generare calorem*? Ego certe nihil video. Cur igitur pro certo ponunt, patrem reapſe generare filium; & dubitant, an ignis reapſe faciat calorem? Præjudicia! Illud certum eſt, ab omnibus pro explorato haberi, utrumque reapſe ab corporea cauſſa provenire. Agunt igitur & ipſæ: quod ſine longa oratione facile intelligitur. Et de *cauſſis occaſionalibus* ſatis.

Corollarium IIII.

Hinc nihil eſt in effectu, quod in cauſſa vel eodem modo, vel perfectiori modo non ſit.

Perſpicuum eſt enim, cauſſam dare non poſſe, quod non habet. Habet igitur, quod dat. Si cauſſa eſt creata, eodem modo, quo dat, habere poteſt: quod Scholaſtici vocant, continere *formaliter* effectum. Sic calor calorem ſimilem procreat.

Si cauſſa eſt increata, ut Deus, continet quidem effectum, ſed modo longe perfectiori, ut *minus* in *maiori*, detractis nempe iis, quæ limitationem præ ſe ferunt: id vocant Scholaſtici, continere *eminenter*: quæ duæ voces commode, ac faciliter rem explicant, ſi recte definiantur.

E. g. 1. Animus noſter intelligit omnia, quæ ei ſucceſſive objiciuntur; non tamen omnia, quæ intelligere poteſt, ſimul intelligit: item cetera, quæ ſunt perſpicua, clare cognoſcit; ſe, ſuaſque operationes clare non cognoſcit. Ergo dicere debemus,

mus, Deum, qui animo vim intelligendi dedit, & ipſum eſſe intelligentem. Sed cognoſcere ſucceſſive, eſt limitate cognoſcere; non poſſe ſe clare cognoſcere, eſt limitatio; neutra igitur eſt in Deo, qui, cum ſit abſolute infinitus, ſeu limitibus carens, & omnia uno intuitu, & ſe ipſum clare cognoſcere debet. 2. Item habemus vim movendi cetera corpora. Igitur & Deus. Sed nos movemus corpora ſuperficie corporis noſtri ea inpellentes, atque ab uno ad alium locum moventes, & novum locum corpore noſtro occupantes: quæ clare demonſtrant limites corporis noſtri. Deus vero infinitus, & inmenſus, nec ſuperficiem & limitationem habet, nec a loco ad locum movetur. Movet igitur longe perfectiori modo, nempe inmotus, & volens motum. 3. Item cauſſæ corporeæ habent quaſdam facultates. Ergo & Deus. Sed ut eas Deo tribuamus, ſeparare debemus quidquid limitationis habet, quod in Deum non cadit: quare diviſibilitatem, mobilitatem, figuram, ceteraque, quæ corpus finitum faciunt, nullo modo habet: ſed eminenter tantum, quatenus dat naturam talem, quæ dividi poteſt &c. Hæc vera ſunt: ſed quo modo, quave ratione in Deo rerum creatarum proprietates contineantur, omnino ignoramus miſeri mortales, quia naturam Dei intelligere non poſſumus: ipſe ſolus, qui habet, intelligit. Sed rem obſcuriſſimam indicaſſe fatis fuerit, de qua fuſius in Theologia erit dicendum.

Jam vero *Cauſſa* effectrix multipliciter accipitur: 1. Alia dicitur cauſſa *prima*, alia *ſecunda*. Prima eſt Deus, qui ſecundas condidit, eiſque vim dedit faciendi aliquid. 2. Alia eſt *univerſalis*, nempe Deus, qui res omnes primo efficit; alia *particula-*

cularis, ut res creatæ, quæ certos tantum faciunt effectus. 3. Alia eſt *totalis*, quæ ſola facit effectum: v. g. cum una manus corpus externum movet; alia *particularis*, cum duæ manus id movent. 4. Alia eſt *principalis*, ut homo, qui cultrum adhibet ad aliquid cædendum: alia *inſtrumentalis*, ut culter ipſe, quo utitur ad ſecandum. Hæ alio nomine vocantur cauſſa *mediata*, & *inmediata*. 5. Alia eſt cauſſa *per ſe*, alia per *accidens*. Per ſe eſt, quæ ſecundum voluntatem, ſi ſit intelligens, aut ſecundum deſtinationem naturæ, ſi intelligentiæ expers, aliquid efficit: v. g. cibus, qui eſt cauſſa per ſe nutritionis. Per accidens eſt, quæ præter voluntatem, aut deſtinationem aliquid facit: ut nimius cibus, qui nocet ſanitati. 6. Alia eſt cauſſa *neceſſaria*, ut ignis, qui, ſi debito modo applicatur, ſemper procreat effectum; alia libera, ut voluntas, quæ poteſt objectum amare, vel non amare, vel odio habere. 7. Alia demum eſt cauſſa *phyſica*, alia *moralis*. Phyſica eſt, quæ vere agit effectum: ut quælibet ex iis, quas hucuſque memoravimus. Moralis eſt, quæ tantum eſt occaſio, ut aliquid fiat: ut conſulens homicidium, cauſſa moralis eſt homicidii ab alio patrati, quod ſecundum hominum judicium etiam conſulenti tribuitur. Ad hanc refertur etiam cauſſa *inpulſiva*: v. g. cum pauperi auxilior motus ejus inopia. Sed hæc vel intellectis vocabulis intelliguntur, atque adeo nihil diſputationis habent. Aliis minus neceſſariis diviſionibus ſuperſedemus, ſi primum monemus, cuilibet cauſſæ ſuum effectum ejuſdem generis reſpondere, ſunt enim *correlata*, talis cauſſa, talis effectus.

Peripatetici vero ſecundum Ariſtotelem aiunt, cauſ-

cauſſarum quatuor eſse genera, *Materialem*, *Formalem*, *Efficientem*, *Finalem*. Sed neſcio quid in mentem venerit Ariſtoteli, ut *Materialem*, *Formalem*, *Finalem* in cauſſas referret. Exploratum enim Philoſophis eſt, immo & ipſi Ariſtoteli erat, *Materiam* nihil mutationis efficere poſſe: *Formam* item non aliquid efficere, ſed eſſe modum materiæ: ſunt enim res omnes corporeæ artefacta pulcerrima a Divino artifice ſummo conſilio fabricata, in quibus, ut in ceteris ab homine factis, forma non eſt ens a materia diſtinctum. Sic dum annulo ceram ſignamus, & imaginem aliquam exprimimus, nec cera, quæ eſt materia, aliquid efficit, ſed potius recipit & patitur mutationem: nec imago aliquid efficit, ſed eſt ipſa mutatio, quæ efficitur ab annulo ceu cauſſa effectrice. *Finis* etiam nihil facit re ipſa; ſed tantum occaſio eſt, cur aliquid fiat. Nec etiam *Exemplar*, quod Plato pro quinta cauſſa ponit, [1] aliquid facit; ſed eſt illud, quod agens ratione præditum in artefactis ſuis ſibi proponit imitandum. Neutra igitur eſt talis cui *cauſſæ* nomen aptari poſſit. Sed de his ſequenti capite abundantius.

Caput XVI.

De Fine, & Exemplari.

I.

Extremum eſt vocabulum *Finis*, extremum *Exemplar*, de quibus hoc libro dicendum eſſe videtur. Hæc duo & ipſa ſunt relativa. Finis definitur, *id cujus gratia aliquid fit*. v. g. Si pergo in Alba-

[1] *Seneca* Epiſt. 66.

Albanum caſtrum, vel Tuſculum, ut aere puriori me recreem, animum a curis gravioribus relaxem, tum demum ſanitati meæ ſerviam, hæc recreatio, & ſanitas *finis* eſt cujus gratia iter conficio.

Jam multiplex eſt diviſio *Finis*. 1. Alius vocatur finis *cujus*, alius finis *cui*. 2. Alius finis *primarius*, alius *ſecundarius*. 3. Alius *proximus*, alius *remotus*. 4. Alius *ſubordinatus*, alius *ultimus*. Quæ omnia exemplo ſupra poſito facile demonſtrantur. Itaque confectio itineris in Albanum habet pro fine *cujus*, laxare animum, ducere ſpiritum puriorem; id enim eſt cujus conſequendi gratia iter conficio: pro fine vero *cui*, habet me ipſum, cui tandem & animum curis vacuum, & conſervandam ſanitatem opto. Item habet pro fine *primario*, *proximo*, *ſubordinato*, tranquillitatem animi liberi negotiis, hauſtum acris purioris: pro fine vero *ſecundario*, *remoto*, & *ultimo*, ſanitatem vel recuperandam, vel conſervandam: hæc enim tamdem eſt cujus gratia illa mihi paro. Verum cum ſanitas corporis ad alium finem dirigi poſſit, nempe ut facilius in rem familiarem, vel in litteras incumbam, vel in aliud: hæ rurſum alterius gratia optari poſſint, nempe ut honores, ut divitias mihi parem: hæ denuo ad alium finem, nempe vel ut conjunctis, vel amicis, vel pauperibus proſim, ceteraque; propterea nihil in rebus creatis, ſi diligenter conſideratur, pro fine ultimo generatim haberi poteſt, ſed tantum quod ad certas leges. Solus Deus clare cognitus in cælo eſt finis ultimus, qui ad nullum alium refertur, per ſe amatur, in eoque quieſcimus.

Eſt præterea alia diviſio *Finis*. Alius dicitur finis *artis*, alius finis *artificis*. Artis eſt id, quod ars

ars ſibi proponit faciendum. v.g. Finis Logicæ eſt, tradere regulas accommodatas ad inveniendum verum non modo in omnibus diſciplinis, ſed etiam in omni vitæ parte. Finis Rhetoricæ artis eſt, regulas exponere, quæ omnino ad perſuadendum accommodatæ ſunt. [1] Quod dico de arte, dico etiam

[1] *Sunt qui dicant*, *finem Logicæ eſſe* invenire *verum*; *Rhetoricæ vero* audientem perſuadere. *Si hoc ſignificare volunt*, *finem proximum eſſe* accommodate ad inveniendum verum, accommodate ad perſuadendum; *remotum vero* invenire verum, *&* perſuadere [*quo ſenſu & nos in* Logica *uſurpavimus*] *recte loquuntur*: *ſi ſecus intelligunt*, *omnino prave*. *Utraque enim regulas tradit*, *quæ ad id conſequendum idoneæ ſint*. *Veruntamen hominis eſt in qualibet diſciplina*, *quam colit*, *regulis Logicæ apte uti ad explorandum verum*. *Propterea que invenire verum eſt proprium uniuſcujuſque diſciplinæ*. *Item dare regulas ad perſuadendum*, *eſt proprium Rhetoricæ*: *perſuadere autem*, *eſt finis Oratoris*, *vel cujuſcumque hominis*, *qui Oratoris partes ſibi ſumit*: *qui tamen ſi non perſuadeat*, *non illico habendus eſt malus Orator*, *modo appoſite ad perſuadendum dicat*; *ſed non omnino bonus*. *Nam præter ſcientiam regularum*, *requiritur in Oratore & vox*, *& latera*, *& vehementia*, *& dignitas quædam*, *& lepos*, *& facetiæ ingenuo dignæ*, *& alia multa*, *quæ*, *qui habuere*, *plurimi*, *etſi doctrina mediocres*, *in bonis Oratoribus habiti fuere*: *qui vero caruere*, *ut ut doctrina exculti*, *vix inter mediocres potuere referri*. *Acrem enim Oratorem*

etiam de Logico, & Rhetore, ut artis ſuæ executores ſunt. Quod vero Logicus interdum verum non inveniat, quod Rhetor non perſuadeat auditorem, non arti vitio dandum eſt, ſed artifici, qui leges ad ſingulos caſus recte flectere neſcit. Finis *artificis* eſt, quidquid ipſe præter artem ſibi conſequendum proponit: veluti ſi Logicæ arti, ſi Oratoriæ aliquis det operam ut divitias inmodicas ſibi paret, ut alios decipiat, ut turbas in republica moveat; hæc non arti propoſita ſunt, ſed ab animo pravo artificis proficiſcuntur.

II.

Exemplar autem, ut ante diximus, eſt, *id quod artifex ſibi proponit imitandum*. e. g. Sculptor, qui marmorea ſtatua Petrum ex vero imitandum proponit, ut hic Romæ paſſim videmus in monumentis, & aliis publicis locis, ubi ſtatuas viris inluſtribus poſitas videmus, habet pro *fine* ſtatuam marmoream condere: pro *exemplari* Petrum ipſum, quem ad effigiem veri exprimere cupit.

Sed hæc, quæ de *fine*, & *exemplari* diximus hucuſque, vel auditis vocabulis ab eo, qui linguam intelligat, ſine ullo labore intelligi poſſunt. Ut mirari ſatis non poſſim eos, qui hæc nobis pro exquiſita eruditione, pro Philoſophia recondita jactanter venditant, quæ ad Grammaticam potius, quam ad

---

rem, & vehementem, & incenſum, & canorum Forum, Eccleſia, concurſus hominum requirit. Legite Ciceronem de Claris Oratoribus, *qui hæc fuſe, & erudite, & accurate, de more, inluſtrat.*

ad Philoſophiam, pertinere videntur. Nos ea, quæ neceſſaria videbantur, ut Philoſophorum ſermonem facilius intelligeremus, tetigimus: cetera iis relinquimus diſputanda, qui res ſubtiles, & quæ nullo modo intelligi, nulli diſciplinæ opitulari poſſunt, delicias ſuas vocant, eaſque pro bona Philoſophia habent. Phyſicas vero diſputationes, & Theologicas, quas hic non nulli addunt, tamquam ab hac diſciplina alienas prætermittimus, ſuiſque locis diſputandas reſervamus.

Caput XVII.

De Diſciplinarum omnium, quibus Ontologia inſervire poteſt, ordine, atque nexu.

HActenus, Adoleſcentes, præcipua Ontologiæ decreta tradidimus, quæ non modo vos doceant, qua ratione ſingulas diſciplinas recte tractare queatis, verum etiam commonefaciant, quid vitare debeatis, ut id ipſum cum operæ pretio efficere poſſitis: quod ego in præcipua parte ſcientiæ habendum puto. Nunc pauca veluti appendiculam adjungam, ex quibus intelligatis, quam late pateat uſus Ontologiæ, quotque diſciplinas complectatur, ut, ad quamcumque earum animum adjungatis, non omnino jejuni, & rerum, quæ neceſſariæ ſunt, expertes & inopes accedatis. Quod eo conſilio faciendum exiſtimavi, ut ii, qui hæc ſtudia veluti inutilia contemnunt, atque intra limites Philoſophiæ Ontologiam conſiſtere ſibi perſuadent, plane intelligant, quam inepte judicent: Sed ad rem venio.

Diſci-

Diſciplina omnis homine liberaliter educato digna, vel eſt *Naturalis*, vel *Artificialis*. I. Naturalis eſt, quæ res a natura conditas percenſet, & inveſtigat. Hæc vel ſenſibus, vel ratione comparatur. Quæ ſenſibus comparatur, & res externas explorat, vocatur *Phyſiologia*, ſeu hiſtoria Naturalis, quæ in ſex partes dividitur: *Meteorologiam*, ſeu hiſtoriam phænomenorum cæleſtium; *Hydrologiam*, ſeu de Aquis; *Minerologiam*, ſeu de Mineralibus, *Phytologiam*, ſeu de Plantis; *Zoologiam*, ſeu de Animantibus; *Pſychologiam Empiricam*, ſeu de adfectibus hominis. Quæ vero rationem ſequitur, in explorandis viribus internis rerum creatarum, earumque comparatione cum aliis occupatur. Hæc varia eſt pro varietate argumentorum. Altera vires & facultates rerum creatarum perſequitur, & vocatur *Phyſica*: quæ ſi de corpore agit, *Phyſica corporum*; ſi de ſpiritu humano, *Phyſica ſpirituum*, ſeu *Pſychologia Rationalis* vocari ſolet. Altera magnitudinem ipſam corporum generatim conſiderat: hæc eſt *Mathematica Simplex*, quæ rurſum pro varia differentia magnitudinis diverſa nomina habet. Nam quæ conſiderat magnitudinem diviſam, vocatur *Arithmetica*, cujus duæ ſunt partes, *Analytica*, & *Algebra*. Quæ vero conſiderat magnitudinem continuam, vocatur *Geometria*, cujus ſunt partes *Trigonometria*, *Conica*, *Sphærica*. Tertia *relationem* hominis ad ſuam felicitatem perveſtigat, quæ duplex itidem eſt: nam vel conſiderat felicitatem hominis naturalem, & ea *Ethica* eſt, ſeu *Naturalis religio*, ex qua profluit Juriſprudentia tum *Politica*, tum *Civilis*: quarum prima nihil aliud eſt, quam applicatio præcepto-

ceptorum Ethices ad utilitatem reipublicæ: altera ad utilitatem ſingulorum civium. Vel conſiderat felicitatem hominis ſupernam, & en *Theologia Revelata*, ex qua *Pontificia Juriſprudentia* itidem emanat, quæ diſciplinam exponit, quam Catholica eccleſia ad felicitatem noſtram tum temporariam, tum æternam conſequendam utilem eſſe judicavit.

II. *Artificialis* autem diſciplina eſt, quæ notiones naturæ lumine adquiſitas ad varia genera rerum Phyſicarum applicat, quo facilius earumdem proprietates, & cauſſas cognoſcat. Hæc rurſum vel argumentum homini internum perſequitur, vel externum. Prima eſt, quæ mentis vires & operationes explorat, quoque modo aptari debeant ad verum inveſtigandum conſtituit. Hæc vocatur *Logica Artificialis*. Ex qua emanat *Ontologia*, quæ eſt applicatio legum Logicæ ad argumenta omnium diſciplinarum communia.

Quæ argumento externo occupatur, vel res ipſas perſequitur, quæ *realis*; vel ſigna rerum, quæ *ſymbolica* nuncupatur. Realis vel proprietates abſtruſiores corporum ignis præſidio examinat; hæc vocatur *Chemia*, ex qua naſcitur *Magia Naturalis*. Vel differentiam quantitatis corporum ex mathematicæ Simplicis præceptis explorat, & hæc pro varia natura corporum alia & alia nomina invenit. Hinc ſi ad motum corporum applicatur, vocatur *Mechanica*: fecundiſſima ea quidem Mathematicæ pars, & quæ in plures partes dividitur. Nam ſi perquirit qua ratione corpora dura machinarum ope faciliime moveri poſſint, vocatur *Mechanice* ſtricte accepta. Sin qua ratione corpora ſpon-

ſponte decidant, vocatur *Statica*. Sin ad fluidorum motum eam dirigimus, & inveſtigamus, quo modo & ratione gravitent, & decidant, quoque modo corpora dura in ipſa fluida inmergantur, vocatur *Hydroſtatica*. Sin ad motum aeris refertur, & exquirit, qua ratione aer machinarum adjumento moveri poſſit, ita ut alios & alios ſonos faciat, vocatur *Pneumatica*. Sin ad varium uſum ignis referimus, *Pyrotechnia* nuncupatur: ex qua *Ars Militaris*, & *Architectura Militaris* hoc tempore natæ ſunt. Ex Mechanica etiam oritur *Architectura Civilis*, quæ ſine Geometria, & Mechanica omnino eſſe non poteſt.

Jam ſi eadem Mathematicæ principia ad dimetiendos ſonos referimus, & exploramus quam rationem & proportionem ſoni habeant inter ſe, naſcitur *Muſica*. Sin Mathematicæ elementa applicamus ad explorandum vim & motum radiorum lucis, exſiſtit *Optica*, cujus tres ſunt partes: *Perſpectiva*, quæ conſiderat motum lucis incurrentis in objecta opaca: *Catoptrica*, quæ motum lucis reflexæ ab ſpeculo, vel corpore polito aliquo: *Dioptrica*, quæ motum lucis exponit progredientis per corpus diaphanum diverſarum figurarum. Ex Optica profluit *Pictura*, quæ ſecundum illius leges imagines exprimere ſolet.

Quod ſi Mathematicæ elementa dirigimus ad explicandum motum Aſtrorum, eorumque phænomena, vocatur *Aſtronomia*: ex qua diſciplinæ aliæ proficiſcuntur: *Gnomonica*, quæ rationem condendi ſolaria exponit: *Chronologia*, quæ ex motu aſtrorum, eorumque eclipſibus temporum ſeriem demonſtrat: *Geographia*, quæ ex iiſdem principiis

certum ſitum locorum in ſuperficie orbis terræ oſtendit: *Hydrographia*, quæ litorum, & inſularum, & ſcopulorum, ceterarumque rerum ſitum, marium amplitudinem, & figuram, & profunditatem exponit: ex qua *Ars navigandi* exſiſtit. [1]

Jam vero ſi fabricam hominis, aliorumque viventium contemplamur, uſumque ſingularum partium ex Mathematicæ legibus demonſtramus, vocatur *Anatomia*. Sin qua ratione animantia ſana ſervari, ægrota ſanitatem recuperare poſſint, inveſtigamus, altera naſcitur diſciplina, quæ ſi de modo & ratione ſanitatem vel conſervandi, vel recuperandi diſputat, *Medicina* vocatur; ſi de adjumentis, quibus id efficitur, *Pharmacia*. Harum prima pro varietate morborum internorum, & externorum, dividitur in *Medicinam* ſtricte acceptam, & *Chirurgiam*: itemque ſecunda: immo & in alias partes pro vario munere utriuſque dividi ſolet. Quod ſi de cultu Plantarum, & Arborum diſputatur, *Agricultura* nominatur: ſi de Floribus, & Fructibus, de *Cultu hortorum*. Sin demum de arte, qua beſtiæ capi ſolent, tractat, *Aucupium*, *Venatio*, *Piſcatio* appellatur: ſi de arte, qua cicurari ſolent, inſcribitur *de Regendis*, *&* *moderandis bel-*

[1] Chronologia, *&* Geographia, *præter Aſtronomiæ principia, addunt etiam hiſtoriam tum temporum, tum locorum. Tametſi Chronologi, & Geographi vulgares ejuſmodi principia non demonſtrent, ſed veluti certa ponant, & hiſtoria occupentur tantum*. Ars *vero* navigandi *præter Hydrographiam, ſeu hiſtoriam marium, complectitur Aſtronomiam*.

belluis: ſi de arte eas medendi, de *Medicina animalium*, ſeu de *Medicina Veterinaria*: quarum notitia ingenuo homine, ac ſedulo patrefamilias, duce, milite indigna non eſt. Hactenus de notitia *Reali*.

Symbolica vero, quæ ſymbola ſeu rerum ſigna perſequitur, vel ſigna articulata perceptionum animi conſiderat, eorumque naturam, varietatem, uſum ex conſuetudine uniuſcujuſque populi definit, & hæc vocatur *Grammatica*. Vel tropos, & figuras orationis, quæ ad perſuadendum accommodatæ ſunt; id eſt, quæ ſimiles adfectus animi in dicente accuſant, ſimiles in auditore excitant, & vocatur *Rhetorica*. Vel fictionem aliquam ingenioſam ligata oratione perſequitur, cujus ope animos demulceamus, erigamus, hilaremus, & hæc dicitur *Poeſis*. Et de diſciplinarum diviſione, ac natura hucuſque.

Jam porro ſi in omnibus diſciplinis, quas memoravimus, Ontologiæ locum eſſe dixero, nimis fortaſſe eam extollere vel Recentioribus graviſſimis videbor, ſed nihil non vere dicam. Quod ſi modo ea, quæ ſuperiori libro diſputavi, in mentem revocare voluerint, me iis probaturum eſſe confido. Quod ipſum etiamſi doctis quibuſdam inutile videatur, qui ceteros modulo ſuo metiuntur; tamen non omnino reprobatum iri puto, ſi conſiderent, non hic tantum cum Adoleſcentibus rem eſſe, quibus rem ſæpius inculcare experientia edoctus neceſſarium eſſe arbitror; ſed etiam cum viris doctis quibuſdam, qui, quod Ontologiam non recte perpenderint, vel eam nimis laudibus extollunt, vel nimis deprimunt.

Ego vero ita cenſeo, ubi locus eſt Logicæ arti, ibi & Ontologiæ locum eſſe. Cumque oſtenderimus, [1] Logicam in omnibus omnino diſciplinis magni uſus eſſe, conſequitur & Ontologiam iiſdem diſciplinis uſui eſſe poſſe. Eſt enim, uti diximus, [2] Ontologia applicatio legum Logicæ ad quædam argumenta communia diſciplinarum omnium. Exemplis clarior res fiet.

1. *Phyſiologia* ſeu hiſtoria naturæ primum res omnes ſenſiles in certas claſſes redigit, *Meteororum*, *Aquarum*, *Mineralium*, *Plantarum*, *Animantium*, quarum ſingulas ſuis nominibus diſtinguit. Deinde in ſingulis claſſibus argumentum ſuum dividit in partes, reſque ita diſponit, ut primum res communes omni ſpeciei, tum peculiares quorumdam perſequatur. Nomina etiam generalia adhibet, quæ omnibus individuis, quæ ad eamdem ſpeciem pertinent, tribui poſſunt. Nec vaga ſignificatione, ſed certa & definita eadem nomina uſurpat, quo facilius id, quod auctor ſignificandum propoſuit, in aliorum animis excitet, nec ex ambiguo loquatur. Utitur etiam frequenter vocabulis, *natura*, *eſſentia*, *proprietas*, *cauſſa*, *effectus*, *perfectus*, *inperfectus*, *ordo*, *pulcrum*, cetera. En germana Ontologiæ præcepta ad uſum redacta. Igitur & in hiſtoria Naturali locum ea ſibi facit. Dicet aliquis: hæc omnia ex Logicæ regulis proficiſcuntur, non ex Ontologia. Meræ nugæ. Nam cum Ontologia ſit applicatio Logicæ ad argumenta com-

---

[1] *In* Apparatu noſtro Parte I. Lib.II. cap.3.
[2] *Supra* Lib.II. cap.5.

communia diſciplinarum omnium, recte dicitur, ex Logica remote proficiſci; itemque recte dicitur Phyſiologia ex Ontologia proxime proficiſci.

2. Similiter de *Phyſica*, de *Chemia*, de *Anatome*, de *Medicina*, de *Agricultura*, de *Cultu hortorum*, de *Ethica*, de *Juriſprudentia Civili*, [1] de *Theologia* & *Naturali*, & *Revelata*, de *Jure Pontificio*, ceteriſque diſputabimus: in quibus ea, quæ diximus de Ontologia, potiori jure locum habent.

[1] *Quam manca & impedita, immo & elinguis ſit Juriſprudentia ſine arte Logica, cognitum Veteribus fuit, idque declarat Cicero, dum Servium Sulpicium inducit ceteros Juris conſultos non ejuſdem modo ætatis, ſed eorum etiam, qui præceſſiſſent, longiſſime doctrina, & methodi [illegible] gloria ſuperantem. „Quod numquam*, inquit Cicero, *effeciſſet ipſius Juris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet Artem, quæ doceret rem univerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambiguam primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera & falſa judicarentur, & quæ quibus propoſitis eſſent, quæ non eſſent conſequentia. Hic enim adtulit hanc Artem omnium artium maximam quaſi lucem ad ea, quæ confuſe ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam, intelligis„.* Cicero in Bruto cap.41. *Quæ ſi nos recte expenderimus, clare intelligemus, iis verbis & Logicam, & Ontologiam*

3. Quid? in ipſa etiam *Mathematica*, ceteriſque diſciplinis, quæ ex ea proficiſcuntur, Ontologiam locum ſibi facere, perſpicuum eſt. Rident hæc aliqui viri docti, Mathematicis diſciplinis vehementer dediti, qui ſibi perſuadent, Mathematicam ſuam nihil cum Logica, nihil cum Ontologia habere commune. Sed ſi argumentum ſine ulla anticipatione recte expenderent, ipſi ſe, ſuamque arrogantiam deriderent, qui rem tam certam, tamque perſpicuam in dubium vocare auſi ſint. Nam non modo Mathematica illa, quam *mixtam* vocant, ut *Optica*, ut *Mechanice*, ut *Aſtronomia*, ut cetera, quæ ex iſtis oriuntur; ſed ipſamet *Geometria Elementaris*, ſeu *Mathematica Simplex* Ontologiæ regulis utitur non ſine operæ pretio.

Et quidem cum *Mathematica Mixta* nihil aliud ſit, quam Phyſica diſciplina, quæ phænomenorum, quæ occurrunt, rationem ex Geometriæ legibus oſtendit; conſequitur eidem etiam, ut Phyſicæ, Ontologiam opitulari poſſe, uti ſupra demonſtravimus. Sed

---

giam veluti neceſſariam prædicari. Sed quod Cicero, aliique Veteres, qui in tradenda methodo diſciplinarum parum viderunt, non bene explicarunt, id Recentiores in ſuo lumine poſuerunt: oſtenderuntque, ſine utraque illa diſciplina non Juriſprudentiam modo, ſed nec ullas diſciplinas recte intelligi, & explanari poſſe. Vel unum laudare ſatis ſit noſtra memoria virum clariſſimum Joannem Baptiſtam Vicum, Neapolitanum hominem, qui Metaphyſicæ adjumento ex Hiſtoria, ac Philologia deduxit & adornavit elegantiſſimum librum, De Univerſi Juris uno principio, & fine uno.

Sed eadem ratione efficitur, *Geometriæ Elementari* itidem inſervire poſſe. Id ſatis conficiunt viri doctiſſimi, qui Geometriam, relicta veteri methodo, qua *Elementa* ſua Euclides adornavit, clariori ordine expoſuerunt: veluti Portus Regii viri docti, qui ſuperiori ſæculo hæc tentarunt: quam poſtea alii perfecerunt, ut Bernardus Lamyus, in *Elementis Geometriæ*, Eduardus Corſinius e Clericis Regularibus Scholarum Piarum, &, ut alios prætermittam, vir ſane Cl., qui mea ſententia palmam ceteris præripuit, Clairautius Academiæ Regiæ Pariſienſis ſodalis, qui *Elementa Geometrica* ita diſpoſuit, ut non ſolum de lineis, de figuris planis & ſolidis, earumque menſura, & comparatione inter ſe breviter, & clare diſputet, detractis inutilibus pluribus, quibus abundant Euclidis Elementa, verum etiam, quod magis mirabile eſt, nullum theorema proponat, ſed omnia problematis expediat, quorum ſolutionem cum adhibet, naſcitur theorema: quod ipſum & multo facilius intelligitur, & tironem in excogitandis & ſolvendis problematis magno cum operæ pretio exercet. [1] Quod idem habita ratione argumenti etiam in *Algebra* fecit. [2] Quis hic non videt inluſtriora Ontologiæ præcepta tum in diſponendis problematis, tum in dandis ſolutionibus, tum in nominibus generalibus adhibendis?

At

[1] Elemens de Geometrie par M. Clairaut de l'Academie Royale des Sciences &c. A Paris 1741. 8.

[2] Elemens d'Algebre par M. Clairaut &c. A Paris 1746. 8.

At enim, ſunt qui dicant, Geometriam ſuis legibus eſſe contentam, nihil auxilii a Logica arte accipere. Fateor, ſed hi ejuſmodi ſunt, qui, quæ vis nomini Logica ſubjiciatur, non intelligant. Nam ſi nomine *Logica* deſignant congeriem illam diſputationum inutilium, quæ ab Scholaſticis tradebatur, ut mihi quidem videntur, fateor non modo ad Geometriam, ſed ad ullam diſciplinam, quæ aliquid utilitatis habeat, non eſſe accommodatam. Sin vocabulo *Logica* intelligunt rectam rationem, eamque meditatione expolitam, & aptam ad inveniendum verum, tam inepti ſunt, quam qui maxime. [1] Quis enim ſine ratione recte ſubacta vel facillimum quodque theorema Geometricum excogitare poteſt, & demonſtrare?

At enim non utuntur Geometræ arte Syllogiſtica ad verum inveniendum. Quid refert? non illi quidem utuntur apparatu illo inepto modorum, & figurarum; reapſe tamen ſyllogiſmis, & enthymematis utuntur. Merito ut eos rideat Wolfius, [2] vir ſi quis alius ſtudiis Mathematicis contritus, oſtendens in qualibet demonſtratione Geometrica plures ſyllogiſmos occurrere: in quibus propoſitiones quædam verbis expreſſæ ſunt, quædam figuris ipſis ſupplentur.

Quid? Socrates, quid? Plato, qui plurimas Lo-

[1] *Repete definitionem Logicæ, quam dedimus*: Diſciplina, quæ mentem perpolit ut in omni loco, & tempore verum conſequatur. *Logicæ L.I. cap.*2. *pag.*5.

[2] *In* Logica vulgata Cap.IIII. §.21. ſeqq. pag. m. 89.

Logicæ regulas ſcite adhibuerunt; quid? Ariſtoteles, quid? Zeno, quid? alii, qui regulas Logicæ collegerunt, & ordine poſuerunt, nonne logicæ Naturalis, ſeu rectæ rationis ope id fecerunt? Quo enim modo principia certa invenirent, ex iiſque recte concluderent, & conſtituerent has leges bonas eſſe, illas non eſſe, niſi a Logica arte eſſent parati? Erat igitur logica aliqua Naturæ ante logicam Artificialem. Et recte quidem: nam logica Artificialis nihil aliud eſt, quam animadverſio earum rerum, quas mens non inepta natura ſua adhibet ad verum inveniendum: quæ cum viri oculati animadverterent, collegerunt ea, quæ utilia eſſe videbantur; inutilia, & errores, in quos homines non exercitati incurrunt in judicando, prætermiſerunt. Ex quibus animadverſionibus ars Logica componitur: cui tot alia omnino neceſſaria ad verum explorandum a Carteſii ætate addita fuere, ut qui hanc cum veteri Logica comparet, aliam longe diverſam eſſe putet. [1] Neque vero Recentiores hi leges novas condiderunt, antea ne cognitas quidem; ſed quæ uſus uni vel alteri homini oſtenderat ad verum quærendum eſſe idonea, collegerunt, & veteribus inventis addiderunt; ex quibus nova hæc Logica componitur.

Nonne, inquiunt, Ariſtoteles Philoſophos, qui poſt fuerunt, docuit ſyllogiſmos facere, & recte concludere? nullus quidem: nam id ipſum ante Ariſtotelem non modo Pythagoras, Empedocles, Democritus, ceterique Philoſophi fecerunt; ſed omnes

[1] *De his in* Logica noſtra Lib. I. *præſertim cap.* 6. *&* 7. *diſputavimus, quæ conſuli poteſt.*

omnes homines, viri, feminæ; ruſtici, urbani; ſi modo mentis erant compotes, nemine docente, non meditati, ſed natura duce jam inde ab exordio mundi facere conſueverunt. Omnes enim recta ratione erant præditi, quæ & verum in iis, quæ cognoſcere debemus, oſtendit, & ex iis alia recte inferre docet. Adeo ut ſi indocti v. g. agricolæ ſermonem aliquem de *cultu prædiorum* litteris mandaveris, & analyſim accuratam inſtitueris, plures ſyllogiſmos, plura enthymemata continere non ſine admiratione aliqua animadvertes. Natura igitur Logicus eſt: natura duce ſyllogiſmos facit.

Quid ergo, quærunt, novi adfert, quid efficit Logica ars? quæris? præcepta illa naturæ, quæ ſine doctore feliciter adhibemus ad inveniendum verum, legit, explanat, ordine ponit, ut id ipſum, quod non meditati facimus interdum, meditati & prudentes intelligamus: tum errores, qui ſæpe evenire ſolent, indicat, ut eos caveamus: nihil amplius. Quare cum dicunt philoſophi Recentiores, hominem ſine arte ſyllogiſtica verum odorari poſſe; hoc dicere volunt: ſine ſtudio artis illius *Syllogiſticæ*, quæ in ſcholis traditur, & modos, figuras, ceteraque minutiſſime perſequitur: non tamen ſine arte illa ſyllogiſtica naturæ, id eſt ſine recta ratione, quam in omni vitæ parte tam docti, quam indocti adhibent; & quæ ſingulis rationibus, quæ perſuadent, & recte concludunt, natura tam ineſt, ut ab iis ſeparari nullo modo poſſit.

4. Venio ad *Grammaticam*, *Rhetoricam*, *Poeticam*, in quibus, ut in Phyſica, ceteriſque diſciplinis, Ontologiam uſui eſſe, evidens eſt, idque ob eamdem rationem. Nam *Grammatica* v. g. voces

ces idearum noſtrarum imagines conſiderans, eas primum in varia genera partitur, quæ generalibus nominibus diſtinguit: tum uniuſcujuſque vocis naturam, ac uſum & neceſſarium, & liberum accurate perſequitur: tum eas eo ordine diſponit, ut primum de ſingulis ſeorſum diſputet; deinde de eorum nexu ſeu ſyntaxi tractet; poſtremo de vario modo eas ſcribendi, & proferendi; id eſt de Orthographia, & Proſodia. Nec id ſolum, ſed etiam id maxime bonus Grammaticus curare debet, ut non niſi neceſſaria ponat, inutilia detrahat: quod ſi aliquid abſtruſius & implicatius occurrat, ad finem remittat, provectioribuſque reſervet. Et hæc bona quæque Grammatica: idque eo potiſſimum nomine, quod non provectiorum, ſed tironum gratia inventa eſt, quibus præceptorum multitudo & nauſeam creat, & inutilis, immo vero impedimento eſt: quod non animadvertentes plerique tales Grammaticas edunt, quæ ſine ſtomacho legi non poſſunt. Quid autem hic non e media, & ſelectiori Ontologia petitum eſt? quid? diligens illa analyſis argumenti, illa inveſtigatio naturæ vocum ac proprietatum, illa diſtributio, ille nexus partium, ordo ille ad finem propoſitum, nonne ſatis clare Ontologiæ uſum demonſtrant?

Idem de *Rhetorica*, ſeu arte perſuadendi, id eſt excitandi in iis, qui audiunt, adfectus animi, quos volumus: idem de *Poeſi*, quæ id ipſum verſibus facit, fabulis quibuſdam admiſtis, dicendum eſſe videtur. [1] Utraque argumenti naturam diligenter

[1] *Præclare Cicero hæc animadvertit, & apertiſ-*

ter perſequitur. Utraque ut clarius id faciat, argumentum dividit in partes, eaſque diſponit, quaſi ſynthetico ordine, ita ut aliæ aliis opitulentur. Utraque partium naturam & proprietates explorat. Utraque vocabula ſua accurate definit. Utraque diſputationes omnes refert ad finem, quem ſibi poſuit. Utraque utilia perſequitur, neceſſaria declinat, quaque poteſt breviori via id facit. Quid autem eſt, ſi non hæc Ontologia eſt?

Quare cum recta ratio in omni diſciplina ſit neceſſaria, in omni & logica Naturæ eſt neceſſaria; cumque collectio præceptorum naturæ, ſeu logica Artificialis, brevius, facilius, & tutius ad verum conſequendum in omnibus diſciplinis conducat, & ipſa erit neceſſaria in omnibus diſciplinis. Ex his autem tertium illud, quod ſupra poſuimus, ſequitur: nempe, cum in ſingulis diſciplinis uſus quorumdam vocabulorum communium, quorumdam axiomatum generalium inſignis ſit ad argumentum ſuum recte explicandum; conſequitur & Ontologiam in omnibus diſciplinis locum habere poſſe, idque alio & alio modo pro varia argumentorum & qualitate, & natura. Et de Ontologia hucuſque.

Ecce

tiſſime faſſus eſt. „ *Nec vero*, inquit, *ſine Philo-* „ *ſophorum diſciplina, genus & ſpeciem cujuſque* „ *rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec* „ *tribuere in partes* [nos Rhetores & Oratores] „ *poſſumus*: *nec judicare, quæ falſa ſint, neque* „ *cernere conſequentia, repugnantia videre, am-* „ *bigua diſtinguere*. „ Cicero *in Oratore ad Brutum cap*.4.

Ecce vos, Adoleſcentes bonarum artium amatores, per ſcopuloſos, difficileſque locos, in quos etiam, qui certum ſibi ducem elegerunt, ſatis multi præcipites ſe dederunt, feliciter, & inoffenſo pede ad ipſum diſciplinarum omnium veſtibulum perduximus, in quo plurimæ portæ ſe offerunt, quæ ad ſingularum domicilia conducant. Licet vobis quacumque velitis intrare. Licet, Logica, & Metaphyſica duce, ad ipſa interiora diſciplinarum contendere. Quas duas ſi diligenter tenueritis, ſi recte ad ſingularum ſcientiarum principia exploranda adhibueritis, tantos in iis progreſſus, mihi credite, facietis, quantos vos ipſi non ſperaſſetis, & tam proſpere vobis ſuccedere, mirari non deſinetis. Unum reſtabat, ut vobis in ſingulis gravioribus diſciplinis clariores auctores nominarem, quibus legendis magnum laboris compendium, magnumque operæ pretium facere poſſetis. Equidem experientia edoctus jampridem intelligo, quam magno adjumento non modo tironi, ſed etiam viro provecto ſit, bonos auctores noſſe: quantumque damni faciant illi, qui ineptis ſcriptoribus legendis tempus conſumunt: planeque mihi perſuadeo, tirones, ſi lectiſſimos auctores diu, noctuque verſarent, etſi præceptore non adeo docto uterentur, multo minori tempore, ac negotio diſciplinas quaſque intellecturos eſſe. Sed neſcio quo fato plerique, qui ſe doctores eſſe ad nauſeam uſque inculcant, ejuſmodi eruditionem, quæ non exigui laboris, acerrimi ſane ingenii eſt, nec niſi hominibus, qui ſupra ceteros ſapiunt, reſervatur, ita contemnunt, ut nihil ſupra. Niſi forte doctrina, qua ipſi carent, ut ut utilis & vero etiam neceſſaria videtur, ceteros item

item carere volunt. Sed ejuſmodi vituperatores miſſos faciamus: neque enim tales ſunt, qui reprehenſione noſtra digni videantur. Ego vero, Adoleſcentes, tametſi intelligo eruditionem hujuſmodi vobis apprime utilem eſſe, eamque hoc loco percommode demonſtrari poſſe, tamen continui me duabus de cauſſis: Altera, quod cum mihi potiſſimum propoſuerim, vos Philoſophia, ac Theologia erudire, duabus his orationem, ac laborem meum in præſentia definire ſtatui: de quibus & in *Apparatu* noſtro luculentiſſime diſputavi, & in ſingulis Philoſophiæ partibus alia adjungam. Altera, quod de hoc argumento accurate quodam libro, quem ſi vita ac vires ſuppetent opportuno tempore una cum aliis edam, ſeparatim diſputavi: quæ cur in hunc locum transferam, cauſſa nulla eſt. Et de natura, ac utilitate *Ontologiæ* ſatis veſtri gratia dictum videtur.

FINIS.

Philoſophus eſt is, qui ſtudeat omnium rerum divinarum, atque humanarum vim, naturam, cauſſaſque noſſe, & omnem bene vivendi rationem tenere, & perſequi. Cicero *de Oratore* L.I. c. 49.

005652575

Digitized by Google

Digitized by Google